DEFENSIO
RESPONSI
MOSIS,
CONTRA MATRIMONIUM,
CUM DEFUNCTÆ UXORIS
SORORE:
OPPOSITA
(cæcutientibus Judæis & novaturientibus Jeſuitis,
quorum opinionem ſuam fecit,
D. CHRISTOPH. JOACHIM
BUCHOLTZ JCtus.
Hac methodo adornata,
Ut Lector hîc junctim inveniat;
(1) D. Bucholzii Adſertionem. (2) Adſertionis
Conſiderationem. (3) Bucholzii Examen.
(4) Examinis hujus ſufflamen.
Pro fulcienda Veritate
Conſcripſit
MICHAEL HAVEMANN,
In Ducatibus Bremenſi ac Vertenſi
Superattendens. Generalis.

GIESSÆ HASSORUM.
Typis & Sumptibus FRIDERICI KARGERI.
ANNO M. DC. LXIV.

LACTANTIVS.

Primus ſapientiæ gradus eſt,

FALSA INTELLIGERE.

ILLVSTRISSIMO COMITI ET DOMINO,

DN. CAROLO GUSTAVO WRANGELIO,

Comiti in Solmis; Baroni in Lindeberg & Lüdenhoff: Dynaſtæ in Sçokloſter, Vôrda, Wrangelsburg, Spiker, Focbyhoff & Roſtorff:

Sereniſſimi Regis, Regnique SUECIÆ Senatori, Archithalaſſo, Ducis belli vicario, ac Gubernatori Generali Pomeraniæ.

Comiti & Domino meo Clementiſſimo.

Gratiæ divinæ ſuavitatem vernantem!
Animi corporisq́; felicitatem perennantem!

ILLUSTRISSIME COMES,

Domine Clementiſſime

DE Vxoris demortuæ Sorore, domum licitè ducenda, recruduit dudum ſepulta ac ſopita Judæorum ac Jeſuitarum opinio. Et, quod ſæpicule demiror, ad Viſurgim illa poſtliminio quaſi ſurrexit rediviva. Quæ tamen verbo Dei eſt ignota, ab Academiis rejecta, ab omnibus ferè Theologis orthodoxis damnata, à JCtis celeberrimis exploſa. Levi autem tactu reducem hanc *Divam* explorare cœpi, in Gamologia mea, periculum facturus, ſitne ſolida, an vèrò cum pomis Lacus Alphaltidis fumo tantum farta. Profectò, ſolidi in ea parum reperi, vaporoſi autem multum; Sicut in nubibus, quæ montes, arces, ac dracones in aëre oſtendunt faciemque ſæpe novant, ſed ante cælum adveſperaſcens ſimul cubitum eunt, & ſe illico non En-

tibus miſcent. Periculoſam quoque hanc eſſe ſententiam deprehendi, quæ, ſi liberè quoquoverſum iret, facili negotio conſcientiæ vulnus infligeret inſanabile, quando in prohibitionum divinarum Syrtes, absque amuſio, tam audacter ducit. Idem mecum Viri eruditiſſimi ſenſerunt, inter quos eminet, magnus ille ac celeberrimus Jctus, Johannes Otto Tabor, Cancellarius, ac Profeſſor Jurium, olim in Academia Argentoratenſi, jam in Gieſſena graviſſimus. Interim in ſcabram *D*iſputacitatem acuitur Dn. D. Bucholtz Jctus, ac jurium in Erneſtina Profeſſor, ægrè ferens, alicujus conſilii mentionem modeſtè alicubi fieri, cujus is fuerat autor, & ſic Judaicæ hujus opinionis Patronus, cui vetus illa & recepta ſententia fracta videbatur ac falſa. Videbatur, in quam, ſed ſicut remus fractus ac diſtortus videtur in aqua, quamvis ſit rectus & integer. Hinc calamum tandem acrius is ſtringit in utrumque Monitorem, dum emittit ſuam Adſertionem Reſponſi Juris, atque Aggreſſores eos jam vocare ſuſtinet, quod vix ferret Jupiter ἔνδενδρος, aut Diana Arduenna. Huic nitroſæ Adſertioni, oppoſui *A*dſertionem Reſponſi Moſis, quæ neminem pungit, quæque Dn. Bucholtzii Adſertionem candidè & verbotenus præmittit, quam mea pone ſequitur conſideratio. Poſtea integrum bienni-

biennium elabitur, & pactæ videbantur induciæ, quando ſilebant omnia. At, poſt elapſum biennium & amplius, ſub Scorpione naſcitur D. Bucholtzii Examen, in me ſcriptum. An crebra iſtud cieat tonitrua, cũ copioſo imbre pungentis Phraſiologiæ, nò facilè dixerim, ſed tutius hac de re aliis oculatioribus judicium relinquo. Hoc Examen mea ſæpe pervertit, illisque transmarina allinit, & præterea multos mihi ſyllogismos liberè tribuit, in Galilæa natos, mihique planè ignotos, id quod primo oculi nictu deprehendi. Vt autem quilibet eò apertiùs hoc noſcat, ideo tam mea, quàm D. Bucholtzii Adſerta & diſputata, oculis legentium nunc ſubjicere placuit, ut eò facilius, utriusque mentem argumenta, & verba inter ſe conferre, & ſic de candore, & totius Diſputationis indole, accuratiùs judicare queant, quotquot mentis perſpicacitate, & ſubacto pollent judicio. Lubens ſanè litàssem ſilentio, nam Thema meum, quod defendo, non eſſe devium àtrito tramite, omnes nòrunt eruditi quodque omnium celebriorum Academiarum ſuffragio dudum comprobatum, facilè ſolem & auram ferre didicerit. Verum enim verò, ne Scepticiſmus & quodlibetica diſputandi & novandi curioſitas, in res ſacras & graviſſimas vel clam irrepat, vel palam irrumpat,

eâdemque operâ opinionem pariat, tales quæſtiones ſub ancipiti ſtare, & in utramque partem ventilari & defendi poſſe, hinc, poſtquam Dn. D. Bucholtzii Examen, iracundiæ & humanæ infirmitatis ſpecimen, luculentum, & in tuitione ſui paradoxi fervide occupatum, in manus meas venit: ſtatim hoc meum ſufflamen, inter alios labores properantiùs conſcripſi, & duorum menſium interſtitio confectum, in publico loco, viris aliquot eruditis oſtendi, quo Examinis hujus arietes, quorum fabricæ Dn. D. Bucholtzius totum biennium impendit, modeſte edomantur. Cæterum Illuſtriſſime Comes, Domine ac Patrone Clementiſſime, num magno nômini Illuſtriſſimæ Veſtræ Excellentiæ; quam Univerſa Europa, & nonnulli orbis tractus extra Europam, Heroem, terrâ marique incomparabilem, mirantur & tacito quodam conſenſu concorditer extollunt, hunc parvum libellum inſcribere liceret, diu multumque deliberavi, tandem tamen audendum eſſe concluſi. Me etenim nutantem ſtatuminârunt ac ſtimularunt Ill^mæ V^æ Excellentiæ penetrans perſpicuitas, igneus ingenii vigor judicium ſubactiſſimum, incredibilis in ſtudia pronitas, ſummus in literatos favor, & ardor legendi ea, quæ prodeunt

ſolidio-

ſolidiora, nec è trivio nudius tertius petita. Quoties reminiſcor, in ſumma illa *Dignitate*, ſummæ affabilitatis ac humanitatis, gravitate ac prudentia ſingulari temperatæ: Quoties regredior in memoriam colloquii, in arce veſtra Verdenſi, de variis magnique momenti negotiis mecum inſtituti & ad aliquot horas protracti, cui nonnulla circa Matrimonialia inſerta fuiſſe memini: Quoties recordor literarum humaniſſimarum, quibus Ill^mæ V^æ *E*xcellentiæ immerentem dignari placuit, toties animum meum, vi quâdam gaudii tacitâ adhucnum diffundi perſentiſco. Quamobrem humiliter oro, ne Illuſtriſſima Veſtra *E*xcellentia parvum hunc libellum, animi mei obſequioſum cultum & ſervitia ſua, Illuſtriſſimæ Veſtræ *E*xcellentiæ humiliter offerentis, obſidem, ſerena fronte ſuſcipere dèdignetur, ut ſub umbone Illuſtriſſimi nominis habitet, & à tanto ſplendore, quos in ſe non invenit, lucidiores accipiat radios. Deus noſter Illuſtriſſimam Veſtram Excellentiam diutiſſimè ſervet incolumem, ut rebus mortalium ad votum intereſſe, ac ſalu-

taribus

taribus ſuis conſiliis, in toga & ſago, feliciter poſſit, præeſſe, quod animitus opto voveo. Stadæ, è Muſéo die XXIII. Julii, Anni clↄ Iↄc LXIII.

Illmæ Væ Excellentiæ

humilis cultor,

MICHAEL HAVEMAN.

PRÆLOQUIUM.

QVæ *Dn. D. Bucholtz, contra adſertionem meam Reſponſi Moſis, quam in luculentæ veritatis divinæ defenſionem, nuper edidi, poſt elapſum ferè biennium, tandem aliquando emittere voluit, vitrum quidem lambunt, ſed pultem attingere non audent. Quamobrem notis tantum Atticis, illos nihili adſultus quibus Examen contra me abutitur, ſum oſtenſurus, ne tempus & chartam inani altercatione videar ire perditum. Alea igitur bono cum Deo jacta ſit.*

NOTÆ RESPONDENTES ET REFUTANTES

Ad Proœmium Examinis Bucholtziani.

Notæ ad num: 1,2,3.

D*Efenſio*, inquit examen Dn. examinatoris hic examinandum, *licita eſt contra eum, qui nullâ injuriâ laceſſitus me invadit. Reſpondeo.* Gamologia mea lib.2, tit.5, n.16.p.410, De reſponſo Juris, pro matrimonio cum ſorore defunctæ uxoris acriter dimicante, ita diſſerit: *Eruditè, ingeniosè, ac nervosè hoc conſilium conſcriptum eſt. Non tamen me potuit perſuadere allatis ſuis rationibus, ut à ſententia mea, quem cum Theologis ac JCtis celeberrimis communem teneo, recedam.* NB. *Nemo mihi vitio vertere poterit, ſi in rationes Conſultiſſimorum Virorum, pauculum inquiram.* Et paulo poſt. *Præcipua ſaltim libabo, & oſtendam, quænam ſint, quæ vel non ſatis capto, vel, quæ mihi non videntur ſatis robuſta, ad rem, tam arduam ſufficienter probandam. Idque tantum propter hanc cauſam, ut in matrimonialibus cautiſſimus, & quid ad veritatem in dubiis propius accedat, diſpiciamus.* En modeſtiam meam! Licetne mihi inquirere in talem explicationem textus Levit. c.XVIII, v.18, quam in nulla celebri Academia germaniæ, apud nullos Theologos, apud nullos JCtos receptam & ap-

probatam reperio, præſertim quando publicè de hac materia ſcribebam? Profectò, hoc Deus non tantum conceſſit, ſed planè fieri juſſit 1. *Theſſal.* c.v, *v.*21, *Omnia* (δοκιμάζετε) *probate*, nimirum juxta verbi divini normam. *Et quod* (καλὸν) *bonum fuerit*, verbo Dei ἀνάλογον, ſive congruum, illud *tenete*. Quid enim commercii eſt paleæ cum tritico? Jer. c.23, v.28. Probanda ſunt omnia, non autem omnia ſunt retinenda: Sed pretioſum à vili ſeparabitur Jer. c.XV, v.19. Ipſi Prophetæ, ſive vocati Doctores & Interpretes ſcripturæ, ex 1.Cor.c.12, v.12, v.29,32, loqui ac docere quidem poterant, interim cœteri dijudicabunt, 1. Cor. c.XIV, v.29. nimirum, an interpretatio illa pro lata ſit ſcripturæ ἀνάλογος, ſive congrua, Rom.c.XII, v.16. Additurque divinum præceptum, v.32, *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjiciuntur.* Ergò nullus vocatus Doctor, ſibi tribuet abſolutam infallibilitatem. Si Doctor Eccleſiæ hoc non faciet, dum textus interpretatur, multo minus JCtus hoc faciet, extra ſuam profeſſionem qui adminicula interpretandi non habet, qui linguam Spiritus Sancti, linguam Moſis non dicit, ille ſuam textus Moſaici interpretationem, quartâ Lunâ concepit, non ſtatim ſupra Juris ſphæram locabit. tanquam inter cælites natam, & ſic infallibilem, in quam nulli mortalium inquirere conceſſum ſit. Adde, quod Dn. Bucholtzii nomen in tota Gamologia mea, quod ſciam, non occurrit. Quomodo igitur Virum invado, cujus mentionem nullam facio in toto libro. Et ſanè, in veritatem accuratior inquiſitio, quo jure appellali poteſt injurioſa invaſio, hoc nec ego video, nec alii mecum, & ſic falſa eſt prima accuſatio, in limine.

Notæ ad num. 4, & 5.

Autor deinde prædicat modeſtiam reſponſi Juris, quam in refutandis argumentis contradicentium ſectetur. Reſpondeo. Utinam! An ſolidè & modeſtè, Theologi celeberrimi, & quidem appoſito nomine, *D.* Gerhardus, & D. Paulus Tarnovius, ab allegato reſponſo ſint confutati, infra patebit. Porro, *Reſponſum Iuris me momordiſſe dicitur.* Cum tamen momorderit in Eccleſia receptam, ac communem Theologorum ac JCtorum celeberrimorum ſententiam, vel potius ipſum textum, ipſam veritatem divinam. Quod enim uxoris ſoror licitè duci queat, quando ad plures uxor abiit, nullus in Bibliis textus eſt, qui hoc dicat. At contrarium dicunt textus, Levit.c.XVIII, v.6, & v.16, uti videbimus ſuo loco. Argumenta mea in Gamologia propoſita *aliena vocantur, & plerumque à ſimili petita.* Verum, cui placet, legat quinque folia Gamologiæ à pag.411, ad pag.421, & quinque argumenta mea, in Adſert.reſponſi Mo-

ſi Moſis,& videbit hic luculentum falſum. Et quis neſcit, ſimilia illuſtrare, non autem ex ſe rem ſub ancipiti hærentem probare?

Notæ ad num. 6, 7.

Inſimulor, abſque ullo fundamento, *quod Principem quendam, tanquam jus naturæ violantem, & exterminatione dignum ad Dei tribunal rapiam.* Verum, mi Bucholtzi, accende quotquot domi tuæ lampades pendent ſub laqueari, & lege meam Gamologiam, lege quoque meam adſertionem Reſponſi Moſis, à capite ad calcem, & oſtende mihi, paginam, lineam, verbum unum, quo ullum accuſaverim Principem, ſcio te non poſſe. En propria tua te verba refellunt, quæ hic ſequuntur, n. 7. *Te pro matrimonio Principis* tuam, ais, *edidiſſe reſponſionem.* NB. *quam reſtrictionem haud bonâ fide deletam voluit adverſarius.* Doles hic, quod nullius Principis mentionem facere voluerim, quod iſta præcipitia præterierim, & tamen ſimul affirmas, quod principem aliquem ad Dei tribunal rapiam. Hic ſane frons periit rebus! Ego tecum abſtractivè diſputo. An uxoris demortuæ ſoror licitè duci queat? Non autem concretivè. An hic Rex, ille Comes, hic Baro, ille civis, aut ruſticus hoc facere queat, abſque ullo conſcientiæ morſu? Cur tu hæc confundis mi Bucholtzii? Si autem vis dici, quod ſentio hac de re, ſic habe. En Princeps petechiali laborat febri, & æſtuat, quærit autem ex medico, anne liceat ſe aëri frigidiuſculo paululum exponere? Medicus annuit. Sed illico petechiæ ſe ſubducunt, & Princeps pejus habet, tandem miſerè in cenſum clinicorum tranſcribitur. Dic mihi, uter hic accuſandus ſit, princeps prudenter quærens, an Medicus peſſimè conſulens? Huic ſimili forte condonabis, hic enim nihil probo, ſed ſaltem quæro, Quicquid hic reſponderis, tibi reſponderis. tibi reſponſum eſſe ſcito. Qui in re dubia alios conſulit, laudandus eſt? qui conſilium periculoſum ſuggerit, in culpa eſt. Applica!

Notæ ad n. 8, 9, 10, 11.

Dn. Cenſor hic ſtylum mihi tribuit aculeatum imò, virulentam vocat meam præfationem, Adſertioni Reſponſi Moſis præfixam, quia ibi ſcripſerim, Dominum Adſertorem primulas Veris inter infelices glebas Judaicas & Lojoliticas ſuccreſcentes, in ſuos hortos transplantare, ac ibidem rigare. Sed agamus quæſo bonâ fide. Verba mea hæc ſunt, *Utingenue dicam, quod ſentio, maximè indolui haſce primulas veris, inter infelices glebas Iudaicas & Lojoliticas ſuccreſcentes, à Celeberrimo D. Bucholtzio in*

ſuos hortes transplantari, ibi foveri ac rigari. En bone Lector! Indolui & adhuc doleo, queror igitur non criminor. Floridiore ſtylo hoc enuncio, idque ideo, ne ſim aculeatus. Primulas veris voco, quæ planta laudabilis eſt, non napellum, quæ venerata eſt, quamvis hæc poſterior, longè melius hic congrueret quam prior. Si dixiſſem, Dominum Adſertorem, detritam & exploſam ſententiam Judaicam, Rabbinicam, Thalmudicã ac Jeſuiticam, poſtliminiò quaſi in lucem ab orco revocaſſe, quod non dixi, non ſcripſi, hoc quidem videri potuiſſet durum, ſed tamen fuiſſet verum, & ſic injuria aut contumelia minimè fuiſſet, quemadmodum Dominus Adſertor fulgurat n.12. Qui enim veritatem dicit, nemini facit injuriam. Atqui verum hic ſcripſi quod nec ipſe Dominus Adſertor inficias ire audet, ſub dedicationis examine n.5.6. Et ne videar Viro aliquid alieni & judaici affricare, legat Dominus Adſertor Virum celeberrimum, linguarum orientalium rerumque judaicarum peritiſſimum Johannem Seldenum, de jure natur. & gent. juxta diſciplinam Hebræorum lib.5, pag.591 Edition. Londinæ in Anglia per Epishopium. Legat Johannem Buxtorffium Juniorem, in diſſert. de ſponſal. & divortiis pag. 28, ubi ſic ſcribit ex Judæo Maimonide, ex libro Judaico Mizvothgadol, ex libro Hachinnuch, & Abarbenele, quibus plures addere poſſem Judæos. Ibidem dicit, Judæos textum Levit: c.XVIII.v.8, ita intelligere, *quod prohibeatur ſoror uxoris vivente uxore, inde concludere, demortuæ uxoris ſororem ducere permiſſum eſſe. Eliciunt id ex addita voce in vita ejus. Hujus vocis vim eſſe ajunt: quaſi diceretur, non licet quamdiu uxor in vivis eſt, ſed mortuâ illâ, non dubium eſſe, quin liceat alteram ſororem ducere.* Imò & Abbenelem docere, per ſe non eſſe illicitum, vivente quoque uxore ſororem ejus ducere, ſed tantum, quatenus id fit ad affligendum, quando iſtâ digamiâ prior affligitur. Huc uſque Buxtorffius. En mi lector, injuriam, contumeliam, aculeata ac virulenta mihi tribuebat Dominus Bucholtzius, ideo quod in dedicatione indoluerim, quod ille primulas veris judaicas in hortos ſuos transplantaverit. Sed Bucholtzius in examine hoc ſuo pag:29. has primulas veris, quas ipſi jam ex Seldeno ac Buxtorffio exſertis verbis oſtendi, ipſemet laudat, iterumque in hortulis ſuis rigat, quando n.82 & ſeqq. ex verſione Hottingeri citat R. Levi Barzelonitam Judæum, qui, ut cœteri Judæi, idem aſſerit. Non ſimul ducendas eſſe duas ſorores, nec aliam poſt aliam, priore adhuc ſuperſtite Mortuâ autem illâ, non eſſe dubium, quin alteram ducere conceſſum ſit. Idem è Vatablo allegat & approbat, his verbis. Rectè Vatablus! Jam vide, quando ego hæc ſcribebam, injuriæ erant grandes, atroces, virulenta erant omnia. Interim

jam

jam ipſe Bucholtzius laudat Rabbinicam hanc opinionem eamque defendit. Proinde, aut Dominus Cenſor in ſeipſum injurius eſt, aut mihi falsò injurioſa illinere voluit. Eligat utrum velit, & hærebit in pice, ſive hoc ſive illud elegerit. Quod Jeſuitæ idem doceant, legi poteſt apud Bellarminum Tom.3, lib.4, c.27. *Lex inquit, prohibet conjugium cum uxore fratris etiam defuncti, & non prohibet conjugium cum ſorore uxoris niſi eâ vivente, ac proinde non prohibet conjugium cum ſorore uxoris jam defuncta.* Sed quod cæci Rabbini & Jeſuitæ hic docent, idem illud docet noſter Bucholtzius, eodemque modo, quo Judæi & Lojolitæ argumentantur, Dominus Bucholtzius quoque argumentatur contra Moſen Levit. c.XVIII.v.16. Moſisque interpretes celeberrimos Theologos, quòd oculi monſtrant, & tam adſertionis reſponſi Juris, quam examinandi hujus aculeati examinis papyrus. Malè igitur ſcribit Dominus Adſertor, de injuriis, detrectationibus ac contumeliis, quas in ipſum projiciam. Abſit à me, cui hoc loco nihil prius & antiquius eſt, quam divinam veritatem, contra has Rabbinicas ac Jeſuiticas aſpergines, ſartam tectam ſervare. Et ſic verum eſſe jam oſtendi, quod de primula veris Judaica ac Jeſuitica ſcripſi, & quod conſectarium eſt, veritatem dicendo, nullam ipſi fecerim injuriam. Oculi hic & teſtes & judices eſſe poſſunt. Quod addit, provocationem me continuare; Hoc quoque falſum eſt, reſponſionem enim ſolidam ipſi ſolvâ provocanti, nómenq; celeberrimi JCti D. Tabor, meumque ſuæ adſertioni Reſponſi Juris præfigenti, oppono, & juſté quidem, niſi ſoli Bucholtzio ſit loquendum & fulminandum, nobis verò tacendum & imbibendum, quod ille æſtuans ac cerebroſus cum turbine effundit, absque omni moderatione, quæ prudentiæ contubernalis eſt.

Notæ ad num. 14, 15.

Suam ſententiam nil detrimenti accepiſſe dicit Dominus Adſertor, donec melius, quam per pauſam Athnach edoctus fuerit. Deinde pollicetur ſe non allaturum animum virulentum nec mordacem calamum. Repono. In adſertione reſponſi Moſis, à pag.11, quinq; attuli argumenta pro ad orthodoxa ſententia defendenda, quod ſoror ſororio ſit ſimpliciter prohibita. Quâ igitur fronte dicitur, me ex Athnach argumentari, oculi enim oſtendunt contrarium quod plura argumenta Examinatori oppoſuerim, quæ textui cælitus revelato firmiter innituntur. Et infra videbit Dominus Adſertor, quid poſſit pauſa Athnach, quod nunc nondum

 intelli-

intelligit. Quid etiam poſſit interpunctio in omnibus linguis, & quod ſola diſtinctio mutata omnibus verbis retentis ſæpe contrarium ſenſum parere queat quod in mea adſertione, quemadmodum paulo poſt videbimus, ſufficienter oſtendi. Sed hæc cum cenſor refellere non potuit, ſciens præterit. Si mihi res eſſet cum JCto Batavo, Cunæo, aut cum māgno Seldeno in Anglia, qui orientalium linguarum, & accentuum diſtinctivorum maximè ſcientes ſunt, hi tam contemptim non loquerentur de Athnach, quod Spiritus Sanctus ponit. Certè, *Neu Iota*, ſive minima litera, *non* (*κεραία*) *unus apex*, aut punctum *præteribit ex lege, donec prætereat cœlum & terra.* Matth. c. V, v. 18. Quod attinet promiſſum ſufflamen animi virulenti, calamique mordacis, laudo: ſi non moritur, & cum Mercurio ſe miſcet Eteſiis, gratiſſimis ſub Seirio ventis. *Equo ne credite Teucri!* Præcedens enim numerus 10 fulminavit, dum petulantem & calumnias fundentem calamum mihi tribuit, & neſcio quam virulentam dedicatoriam quæ tamen vera recenſet, quæ ex Seldeno, Buxtorffio & Hildeſienſis Judæi placitis, à Domino Heshuſio & Academia Jenenſi dudum proſtratis, omnibus eruditis ſunt notiſſima. Et in hoc Examine pag. 4, n. 7. Aggreſſoris titulo ornat eum, qui in veritatem inquirit. Ex hac pungente aurora metiri licebit temperiem diei, quæ magis uret. Quæ tamen lubens calenti condono animo & calamo. Utinam quoque in aſſertione Reſponſi juris mordax cenſoris ſiluiſſet Ironia, ſic felicior & expeditior fuiſſet diſputatio. Hoc veritate annuente dicere poſſum me hactenus nullum legiſſe ſcriptum tam virulentum, quam hoc Bucholtzii, quamvis Eriſtica multa legerim. Ocularis demonſtratio teſtis eſt. Sed illa fulgura ſignum ſunt, cauſæ nutantis, quæ dum fundamentis ſolidis defendi nequit, defenſorem accendit, qui in convitia erumpit, & ſannas, non pro veritate, ſed pro ſua adſerenda authoritate, ne videatur erraſſe.

Sequitur nunc admonitio Domini Examinatoris ad Lectorem.

HÆc Methodi meæ ninit, qua *κατὰ πόδας* percurrendam eſſe aſſertionem Reſponſi Moſis, Examinatori Bucholtzio dicitur placuiſſe. Hoc enim clarius fore credit ille. Ego autem obſcurius illud eſſe non tantum puto, ſed certo ſcio, quia oratio mea hac ratione ſcinditur in minimas particulas, in verba, quibus nullus ineſt ſenſus, nulla theſis. Exempli gratia. *Ingenuè dicam.* Hæc verba examinat Dominus opponens.

Quæ

Quæ ſcripta publica. Hæc verba iterum examinantur cum aliis: *Equidem ſcandalum*: Et ſic conſequenter. Equidem D. Hunnius in Matthæum, D. Winkelmannus in Lucam, D. Arcularius in Eſaiam &c, hac methodo quidem utuntur nimirum, commentatores Theologi in Prophetas & Evangeliſtas commentantes. Et Philoſophi, Toletus, Fonſeca in Ariſtotelem. Et qui luculentos authores ac Poëtas interpretantur. Hic autem non commentandum ſed diſputandum erit. Diſputatio autem neceſſario contra aliquam theſin dirigitur, in qua plena ac enuncians oratio deprehenditur, quæ aliquid adſtruit aut deſtruit, affirmat aut negat. At Domino opponenti ſuſpecta hæc magis placet anatome, ſive ruptura ac diſſectio orationis, in diſputationibus nunquam audita aut viſa, ſub qua tutius Sophiſta ambulat. Lector enim hac ratione ſtructuram verborum meorum, nervum ac ſenſum, quid velim, quid nolim, non videt non intelligit. Interea candorem meum vidit Dominus Bucholtzius quando in mea adſertione Moſis, ſine ruptura ac hiatu, apertè ac plenè, ut nihil omittam, ſub titulo Adſertionis omnia repeto, quæ Dominus Bucholtz contra me ſcripſerat in ſua aſſertione Reſponſi Juris, idem reciprocè expectabam ab illo, ſed fruſtra, uti video. Is enim Scindit, ſecat mea omnia, omittit quæ maximè in rem ſunt, & ſic minutal exhibet, in quo non cohærentia ulla, neu ulla enunciatio plena reperitur, ſaltem ideo, ut ſub hoc artificio anatomico ſe tegat, & nemo neu cor neu hepar integrum videat: Nam Apitius comminuit omnia, aquilæ eſurienti in cœnam. An hoc ſit boni Diſputatoris, judicet qui ſapit. Ego ſcio, ſub hac anatome, dolos, ſophiſticationes, falſa multa, quæ affinguntur, liberè, optimeq; occultari poſſe, ſicut anguis, in herba, *cum pluvio ſupplicat illa Jovi.*

Ad Examen Inſcriptionis & Rubricæ.

Notæ ad num. 1, 2.

MOſen nullibi, ait, reliquiſſe reſponſum contra matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore. Vanum igitur eſſe titulum. *Adſertio Reſponſi Moſis* &c. Reſpondeo. Moſe contra hoc matrimonium reliquit reſponſum. Levit. c. XVIII. v. 6. & v. 16. quod aſſerunt ſexcenti Theologi ac JCti celeberrimi, quodque ex textu ipſo infra videbimus. At legere geſtio, hoc Moſis reſponſum. Licebit Tibi ducere poſt uxoris tuæ obitum. Ubi quæſo hoc exſtat ſive in hoc capite, ſive in aliis capitibus eorum liberorum omnium quos Moſes olim ſcripſit? Nullibi! Tantum febriculoſa & Thalmudica conſequentia, huic obſtetricatur monſtroſo

ſtroſo partui, extra omnem ſcripturam divinitus inſpiratam.

Notæ ad n. 3.

Fatetur Dn. Opponens, quod contra celeberrimum JCtum Tabor. ac contra me ſcripſerit, ſed addit, quod provocatus ſit, utriusque durioribus, quam par erat, verbis. Verum quam frigidum hoc ſit, ſupra ad num. 1. 2. 3. proœmii, ex ipſis verbis modeſtiſſimis Gamologiæ ad oculum oſtendi. Nec Dominus Opponens dura illa verba allegare audet, quæ ſi inveniſſet, profectò non tacuiſſet. Nec in ſua adſertione, ubi hoc clypeo uti debuiſſet, de durioribus verbis, de aggreſſionibus nil meminit, nec potuit. Color igitur eſt & fucus, quo nonnulli litigandi pruritum excuſare ſolent, quando contra omnes ſapere, & ſexagenarios de ponte dejicere volunt. Dicit igitur hic quodlibet, non autem probat, uti decet. Sed quærenda erat aliqua cauſa inter ventos, ut congenita vehementia aliquantulum excuſetur, quæ fulminat magis pro Dn. Cenſoris exiſtimatione, ſicut hic lego, quam pro veritate.

Ad Examen Dedicationis.

Notæ ad n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Luculentam ſibi injuriam factam eſſe dicit Dominus Opponens, quod primulas veris Judaicas ac Lojoliticas ipſum in hortos ſuos transplantaſſe, dicat dedicatoria mea. Sed hoc plusquam verum eſſe, oſtendi ſupra ad proœmii numerum, 8, 9, 10, 11, idque ex propriis Bucholtzii allegatis. Nec opus eſt, iſtud hic recoquere. Non injuriam, ſed dolorem meum in loco citato inveniet. At Excipit. Se non Appellam eſſe, non Jeſuitam. Recte dicit. Johannes Calvinus, quando ſuperiori ſeculo, illuſtria Scripturæ dicta, ex mente Judæorum exponebat, non erat Judæus, ſed à celeberrimo Doctore Hunnio recte vocabatur, Calvinus Judaizans. Sic Dominus Opponens non eſt Judæus, non Papiſta, ſed in puncto matrimonii cum defunctæ uxoris ſorore, Levit. c. XVIII, v. 18 à Deo conceſſi planè Judaizat ac papiſſat, quod ante oſtenſum eſt, nimis dilucide ex Bellarmino & Rabbinis. Addit, poſſe fieri, ut Judæus & Papiſta legem aliquam Leviticam rectè interpretentur, quid hoc ad Judaiſmum aut Papiſmum? Sed in noſtro themate, & Judæus Rabbi & Rabbi Jeſuita, textum Levit. c. XVIII, v. 18 peſſimè interpretantur, & abſurda inde eliciunt, quid hoc ad veram interpretationem? Addo, ſi quando centum Theologi orthodo-

orthodoxi, eruditi ac pii, uno ore concorditer textum aliquem interpretantur. Judæi autem & Jeſuitæ his contradicunt, magnam naſci præſumptionem contra Rabbinos & Jeſuitas, quod errent. Illi enim Miſchnah & Thalmu, & definitiones doctorum ſuorum verbo Dei præferunt, & ſæpiſſime Scripturam neſciunt. Erratis, neſcientes Scripturam Matth. c. XXII. πωρώσιν experiuntur, cæcitas iis contigit. Rom. c. XI, v. 7. 8. 25. Hi quoque ſcripturam ſacram.

Peſſimè contemnunt in publicis ſcriptis, ad Eccleſiam, ad papam, ad traditiones utopicas provocant, & ad novitates proni feruntur. Sed, allegat tamen quatuor Theologos, Lutherum, Brentium, Simonem Pauli, Danielem Hoffmannum, qui Rabbinicam explicationem probent. At, Lutherum malè allegat, quippe qui illam ſententiam fovebat in ſcriptis ſub anno 1522 emiſſis, quam poſtea repudiavit, uti infra videbimus. Si retinuit, probet hoc Dn. Cenſor ex poſterioribus Lutheri ſcriptis, oſtendat librum, locum, folium, quod nondum vidi. Brentius, ac Simon Pauli, non tam acriter urſerunt hoc thema, ſed quia in ſancta lingua non excellebant, aliquid humani hic paſſi ſunt. Quod etiam de D. Hoffmanno licebit dicere, quem Hildeſienſis Judæus decepit. Homines enim ſumus, humani nihil à nobis alienum putabimus. Id quod expertus etiam eſt Dominus Hoffmannus, quando Philoſophiam in foro theologico peſſum dare decreverat, quod publicè tandem revocavit in celebri ſua Julia. Sed quid dicet Dominus Bucholtzius de Doctoribus celeberrimis, Philippo Melanchtone, Bugenhagio, Snepfio, Jacobo Andreæ, Chemnitio Hunnio, Herbrando, Chytræo, Haffenreffero, Heshuſio, Selneccero, Balduino, Geſnero, Rungio, Gerhardo, Affelmanno, Hülsmanno, Krakwitzio, Thummio, Tarnovio, Oſiandro. Imo de Reformatis, Martyre, Beza, Urſino, Zanchio, Paræo, Crocio & ſexcentis aliis. Citarem plures, ſed ſufflamen huic rotæ currenti eſt aptandum ne ſim prolixus. Si autem id poſtulat Dn. Opponens, ſexaginta, nonaginta Centum & plures Theologos ac Juriſconſultos enumerabo, qui omnes Domini Bucholtzii opinionem damnant ac rejiciunt. Quod etiam faciunt Concilia, Eliberitanum, quarto ſeculo congregatum can. LXI. Antiſiodorenſe, can. XXX. Toletanum &c. Nominet autem mihi Dominus Opponens Theologum in Academiis, Upſalienſi, Haffnienſi, Oxonienſi, Leidenſi, Wittebergenſi, Argentoratenſi, Gieſſenâ, Roſtochienſi, Lipſienſi, Gryphiswaldinâ & aliis, qui matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore in Levit. c. XVIII. conceſſum eſſe ſtatuunt. Nominet quæſo, quinam & ubi illi ſint

li ſint adſtipulatores. Profectò, ſi authoritate res decidi poſtularet, vel centies caderet Dominus Adſertor unà cum ſororio ac ſorore matrimonium ineuntibus, antequam duos inveniret, qui nutantibus ſuis humeris ſe ſupponerent. Porrò, ſe provocatum eſſe repetit, ſe Gamologiam impugnaſſe ait, & hinc illas elici lacrumas. Supra autem reſponſum eſt. In Gamologia, ne nomen quidem Domini Bucholtzii reperiri: Nullam ibi legi provocationem, tetigi tantum pauca in reſponſo Juris, quæ putabã me vel nõ ſatis capere vel nõ ſatis robuſta eſſe; ita enim ſcripſi, ut contra receptã ac piam ſententiam, inter ſororium ac ſororem matrimonium adſererent. Cæterum, Dn. Opponens Gamologiã, uti dicit, non impugnavit, ſed πρώτως tantum hoc unum thema, de prænominato hoc matrimonio in Gamologia oppugnavit, nec illa impugnatio Domini adſertoris me in Gamologia occupatum movere poterat, quippe, quæ tunc in rerum natura non erat, ſed poſt quadriennium demum nata eſt, cum aſſertione reſponſi Juris, ſolus veritatis ac pietatis amor calcar mihi addebat, ut monerem illa, quæ veritatem in ſolidum locabant, contra periculoſam opinionem Judæorum ac Jeſuitarum.

Notæ ad num. 9, 13, 14.

Negare hic audet Dominus adſertor illud, quod tamen à quo libet legi poteſt, nimirum, ſe non pupugiſſe Theologos, D. Gerhardum D. Paulum Tarnovium & alios. At ſuo loco hoc oſtendi, D. Gerhardus ex textu dicitur iſtud probare voluiſſe, cujus ne quidem veſtigium in textu reperiatur. Pejus infra lego de D. Chemnitio, quem illo tractat tanquam lixam Apollinarem. D. Paulum Tarnovium Bellarmino non potuiſſe ſolidè reſpondere aſſerit Cenſor. Hoccine eſt pungere tantos Viros? Sed de his infra ſuo loco. Hic quæſo Dominus Opponens ſua verba ponderet, ex pag. 6. n. 3. Si uterque inquit Opponentium (JCtus Tabor & ego) in ſcriptis ſuis, nullam reſponſi Juris mentionem feciſſent, ego illos ſuo ſenſu abundare facile paſſus fuiſſem. En! ſolam mentionem reſponſi Juris hic vir ferre non poteſt & tamen facit mentionem D. Gerhardi & D. Pauli Tarnovii &c. idque in contemptum utriusque Theologi, & quidem in eodem reſponſo Juris. Cur inibi non fecit his, quod ſibi hic vult fieri. Cur hic carpit in aliis, qui mentionem faciunt Reſponſi Juris, quod ipſe facit ſatis libere dum non tantum meminit Theologorum, Sed illos rodit & rejicit in hoc & aliis nonnullis. Porro, miror numerum 13, ubi Dominus Opponens audet adſerere, ſe matrimonium ſororii cum defunctæ uxoris ſorore, ex ſolo Levitico, ex ſola

ſcriptu-

ſcriptura definire, quod tamen nec fecit, nec facere unquam poterit. Non diſputabo hoc loco, ſed ſaltim quæram, anno rem definire velit ex his verbis, quæ ipſemet allegat, in frontiſpicio hujus ſui examinis. Quid eſt veritas? uxorem ad ſororem ejus non accipies, ad laceſſendum, ad revelandum nuditatem ejus ſuper eam in vita ejus, Levit. c. XVIII, v. 18. & pag. 5, n. 15, du ſolt deines Weibes Schweſter nicht nehmen neben Jhr / ihre Schamb zu blöſſen/ihr zu wieder/weil ſie noch lebet. Ex ſolo hoc Levitici textu, ex ſola ſcriptura, ex ſolis his verbis, ut ſibi perſuaſit, definiet Dominus Opponens, ſororii cum uxoris defunctæ ſorore matrimonium. Sit ita. Stent igitur oculi fixo obtutu in verba hæc. Non accipies uxorem NB. ad ſororem ejus, ad laceſſendam eam. Colligo. Qui accipit ſororem alteram, ad laceſſendum alteram, videlicet, quam jam habet uxorem. Jhr (ſeiner Ehefrawen zu wieder/ihr Unruhe und Wiederwertigkeit damit anzurichten. Is ſimul duas ſorores conjuges, duas uxores ſimul habet viventes. Immotum! Niſi quis ſomniet, mortuam uxorem laceſſi ac irritari poſſe, quod abſurdum. Pergo. Qui revelat nuditatem ſororis ſuperinductæ, in vita ejus, ſcilicet uxoris, vel quando adhuc vivit uxor. Is ſimul duas habet ſorores in lecto geniali. Immotum! Qui duas habet uxores ſimul, is eſt polygamus. Immotum! Ergo ex his verbis polygamia, quæ duas ſorores ſimul uni affibulat Viro, prohibetur, ſi textus citatus de ſorore propriè dicta agit. Hoc eſt in textu perſpicuis verbis expreſſum. Sed de hac re nulla eſt inter nos quæſtio, nulla diſputatio. Verum enimvero, hæc eſt noſtra theſis; quando uxor mortua eſt, tunc ſororius licitè poteſt ducere mortuæ ſuæ uxoris ſororem. Contra hanc theſin tantum diſputo, quam Dominus Opponens affirmat, ego nego. Tantum autem abeſt, ut hæc theſis extet in textu à Domino Opponente allegato, ut in eo de hac grandi licentia, ne verbum ne ſyllaba reperiatur. Sumite fultis, O Viri oculatiores, omnes oculos exemptiles Incolarum Lunæ, omnes Galilæi de Galilæis tubos opticos, & mihi hæc verba, hanc theſin, ex hoc textu ſolo oſtendite. Impoſſibile! Ergo hoc falſum tamdiu manebit, quod Dominus Opponens hoc ſuum adſertum ſatis periculoſum, ex ſolo Levitico definiverit, aut definire poſſit. Quod autem hanc theſin ſuam ex Gloſſis & conſequentiis Judaicis ac Jeſuiticis malè cohærentibus, & textui Levitico c. XVIII, v. 6, & 16 contradicentibus malè oſtenderit, hoc ipſi lubens concedo. Uti vidit, quando ſupra ex Seldeno Buxtorffio ac Bellarmino has malè ſequentes conſequentias allegavi. Sed hæ non exiſtentes & non ſequentes conſequentiæ, non ſtatuminant conſcientiam nutantem & horrentem, quod ſolum facit Dei infallibile

 verbum,

verbum, aut infallibilis ac neceſſaria conſequentia ex illo verbo emanans. Ergò dediſcat Dominus Opponens, tam ardua quæ ex nullo textu probari poſſunt, glaciei Hiſpanicæ, ac Judaicis gloſſis inædificare. Sic tota diſputatio noſtra bonâ cum gratiâ erit compoſita.

Negat n.14 ſe ſcandalum dediſſe, quando Judæorum ac Jeſuitarum gloſſas defendit, noſtros theologos pungit, & à communi ſententia ac via regia, novaturiens ad paluſtres ſemitas deflectit. Sic Moſen ait & Lutherum & quosdam alios Doctores ſcandalum dediſſe. Scandalum igitur non datum, ſed acceptum eſſe, tyrones intelligere, quando contrariæ opinionis magiſtri (ſic vocat celeberrimos Theologos ac JCtos) ex affectibus, ſeu errore ſcandalum capiant. Reſpondeo. Quod Moſes, quod Lutherus in ſcriptis poſterioribus, matrimonium illud inter uxoris defunctæ ſororem & ſororium ſtatuminent, nondum probavit, ſed adhuc ſub Judicalis eſt, imo craſſa petitio principii eſt. Ergo ſcandalo dato Eccleſiam perturbat noſter Bucholtzius, quando Judæizat & Papiſſat ſuis conſequentiis, quod diſcet vel ex ſolis problematibus Aretii, part. pag.

Num.18 ait, multos ſuæ ſententiæ calculum adjicere, quorum catalogum texere non ſit operæ pretium. Reſpondeo. Rectè facit Dominus Opponens, quod non incipit texere, quia nec ſtamen nec ſubtegmen ſe habere, probè intelligit. Et ſi haberet, Judaizantium texeret catalogum, qui Eccleſiæ erit exoſus. Quæ porro num. 20. ad 24 inculcat, quod Theologos non pupugerit, iſtud ad crambenter coctam pertinet poſtea, ſuo loco rem videbit. Quod de atra mea bile ſcribit, ad animum pertinet ſedatum, quem ſupra, ſed ſui impos, verbis nudis promittebât. Quod addit, me ex Grammatica Hebræa, affectatâ novitate diſputare. Sciat, Moſen Hebraicè ſcribentem, Grammaticæ hebrææ cunas illico ſtruxiſſe, & Eſaiam idem feciſſe, quando ſtylo hominum ſcribere jubetur c. VIII. Nec novum eſt, regem Athnach, verſum quemlibet bimembrem diſtinguere, niſi neſcienti, quod infra Dn. Cenſor notabit & videbit. Quæ n.25. ad 29 leguntur nõ feriũt ſcopũ. Quando n. Cenſor Bucholtzius, Judaicas ac Jeſuiticas gloſſas acriter defendit, & Theologos noſtros pungit, eo ipſo virum hunc delitias facere Jeſuitis, qui noſtros JCtos allegare poſſunt, amarorem ſpargentes in ſuos Thologos, queror, & rectè quidem queſtus ſum. Cætera ſunt puerilia: Neminem enim ejicio è communione Eccleſiæ, propterea, quod textum Levit. c. XVIII. v.18. aliter explicet, ſed ſcandalum inde in Eccleſia naſci dico, dum noſter Cenſor Jeſuitas ac Ju-

dæos

dæos hic defendit, Theologos autem noſtros pungit. Qui hoc non intelligit, ad Anticyras ablegandus erit.

Num.30,31,32 odioſa illa tautologia recurrit, de amarore, quem in Theologos ſparſerit. Quemadmodum nec ullum folium hactenus absque tautologia legi potuit. Quærit autem, cur non retinenda ſit illa interpretatio textus, quæ in Eccleſia orthodoxa eſt recepta? Profectò miror, absque rubore talia ſcribi, niſi forte Dn. Examinator Eccleſiam domeſticam intelligat, quæ novenarium vix excedat numerum. In qua docent Thalmudiſtæ ac Rabbini. Nunquam in Eccleſia fuit recepta illa ſententia Bucholtziі Judaica ac Jeſuitica, nimirum, quod poſt mortem ſororis, altera Duci poſſit ſoror, quod ſupra oſtendi, quando tot Theologos ac Academias allego, ſecus ſentientes, diſentientes, & huic errori maſculè contradicentes.

Num. 33. Inquit Cenſor, quod ſua ſententia non ſit Papiſmus. Rectè! Manus enim non eſt totum corpus, ſed pars corporis. Sic ſententia, quam Cenſor defendit, non eſt Papiſmus, ſed particula rancida Papiſmi, vel potius Jeſuitiſmi, & quidem egregia, quæ Taxam pœnitentiariam augere, & diſpenſationem Romani Pontificis iniquiſſimam contra divinam prohibitionem poteſt fulcire. Quod addit, de modeſtia Domini Mentzeri, eâ ſe ipſum accuſat, qui contra celeberrimum JCtum Tabor, & me valde immodeſte ſe geſſit, ſuâ ironiâ, & aculeato ſtylo, quem facile fero. Vix quaternio hujus examinis, absque Goliatiſmo, & Ironia reperietur. Sed verba ſunt, non mordent, non vulnerant. Sonent igitur, tanquam inanes aëres filiæ, quæ tantum vox ſunt, prætereaque nihil.

Numeris 35. ad 44, quædam prolixè contra dedicationem meam movet. Ubi aſſero ex 1. Cor. c. XII. v. 29 & c. XIV, v. 4, v. 28, v 32, quod non omnes ſint ſcripturæ interpretes, quod non omnes linguis loquantur. Male igitur fieri, quando JCti novas Interpretationes Scripturæ in Eccleſiam introducunt, ac Theologis eruditis præcipitanter contradicunt. At, quid Dominus Cenſor ad hæc? (1) optandum eſſe dicit, cum Moſe, ut totus populus ſint Prophetæ, indente Jehova Spiritum ſuum illis Num. XI, v. 29. *Reſpondeo.* Si eo modo prophetare poteſt Dominus Bucholtz, quemadmodum duo viri Eldad & Medad v. 26, in caſtris Iſraëliticis. Et ſi Rintelii accepit de illo Spiritu, qui fuit ſuper Moſen, ſicut Viri ſeptuaginta v. 16, 17, illum accipere Spiritum: Prophetet in nomine Domini, ſed non maledicat cum Bileamo. (2) Non vult illos fanaticos eſſe, qui Biblia legunt, & ex illis rectè colligunt. *Reſpondeo.* Legere Scripturam bonum eſt, rectè ex Scriptura colligere, licitum eſt. Sed

lubricam ac Judaicam ſcripturæ interpretationem aliis obtrudere, collectiones Jeſuiticas malè collectas defendere, idque ſatis acriter, cum grandi ſupercilio, & cum inceſtus periculò, hoc malum eſt, imò peſſimum. Duo interpretes loquantur, cœteri dijudicent. Spiritus autem Prophetarũ, ſubjecti ſint Prophetis, id ſupra audivimus, ex locis allegat s. 1. Cor, c. XIV. v. 28, 32, 1. Cor. XIII. Qui hoc obſervat, non inflatur, ſed veritati gratulatur, non agit perperam, ſed caute, nec ſibi infallibilitatem arrogat, nec contra omnes ſapere diſcupit, nec receptam in Eccleſia ſententiam convellere allaborat, ſed conſiderat, nos ex parte nunc cognoſcere, ex parte Prophetare, & ſic in charitate tutò ambulat. Hic autem Dominus Cenſor probet ſeipſum, an in tali ſemita iter faciat? (3) Pergit. Si Havemannus locum de Charitate 1. Cor. XIII, inſpexiſſet, cum in nos bacchatur, ab iſta ſua concione ſibi temperaſſet. Verum, legantur mea verba ſatis modeſta, non autem ſunt mea, ſed Apoſtoli, idque in dedicatione, & videbitur qualis ſit candor & charitas Cenſoris, qui mordace calamo & ironiâ promptus eſt. (4) Malè ait inferri, JCtos non debere reſpondere in matrimonialibus ex Jure divino. *Reſpondeo.* Ubi hoc in dedicatione mea? Nuſpiam! Sic ſemper mihi affingendum aliquid putat Dominus Cenſor, ut videatur mihi reſpondere, cum non mihi, ſed ſuis ſpectris ac figmentis reſpondeat Id autem mihi placet, quod addit, cauſas matrimoniales magnam partem ad res ſeculares pertinere, easque NB. in Conſiſtoriis, tam è Politicis quam Eccleſiaſticis terminari. Benè! Cauſa autem & quæſtio, de ſororis uxore licitè ducenda, in quo Conſiſtorio, & à quibus Adſeſſoribus Eccleſiaſticis Rinteliis terminata ſit, nondum reſcivi. (5) Quosdam Theologos, dicit, de omnibus Juris Romani partibus ſolide differere. Quid, ſi JCti, qui ad Moſen & Prophetas Interpretandos non adeo ſunt inepti. *Reſpondeo.* Quid hi vel illi Theologi, quos non nominat Dominus Cenſor, in Jure profecerint, ignoro. JCtos quoque ad Moſen interpretandum, vix ineptos fore credo. At non omnes, ſed tantum quosdam, & quidem illos, qui linguam Moſis ac Prophetarum ex fundamento didicerunt, qui in ſcriptura adeo ſunt exercitati, ut ſcriptura ex ſcriptura explicare queant, quæ non ἰδίας ἐπιλύσεως, qui locos Theologicos, & fidei ἀναλογίαν probè imbiberunt. Sed addo. A poſſe ad eſſe non valere conſequentiam. Et ſi exciperem unum atque alterum, qui talis eſſet, ubi ſunt novem illi qui talia didicerunt? Interim per Dei gratiam habemus JCtos, qui Theologos diligenter legerunt, & in quæſtionibus theologicis exercitati reperiuntur, ſed propterea nolunt commentari in Moſen thalmudicè ac Rabbinicè.

Num. 45.

Num.45. ait, me authorem rixæ eſſe, cauſam pro matrimonio ſororii cum ſorore ad me non pertinuiſſe, ſe nolle ſibi opponi aculeos, ſe modeſtiæ cancellis egredi, & certare probris nolle. *Reſpondeo.* Rixas extremè odi, tantum in robur argumentorum quorundam adverſæ partis, inquirere volui. Idem fecit celeberrimus JCtus Tabor. Idem vel millies, factum eſt, hoc noſtro, & elapſis ſeculis. Quod tamen nemo reprehendit, ipſa Scriptura jubet omnia probare. Qui ſua probari non fert, is taceat, & ſcriptu ientem ſufflaminet calamum. Hoc enim ſeculo nemo jurat in verba Pytagoræ. Et quis quæſo tandem erit alienæ libidinis irrationale mancipium, ſolo hoc principio contentum, Pythagoras dixit. Cæterum, quia tunc de matrimonio ſeribebam, ad me ſine dubio pertinebat veritatem ſcribere ac dicere, nimirum, quod ſororio non liceat defunctæ uxoris ſororem ducere, hoc mihi æquè permittendum erat, & aliis Theologis, qui mecum idem docent. Aculeos Bucholtzii quod attinet, hos quilibet obſervare poterit, cui lubet, tam in celeberrimum JCtum Tabor, quam in me vibratos, quibus parum moveor, quosque Euro aëra purganti lubens committo. Et tantum de illis, quæ contra dedicationem emittere voluit Dominus Examinator, quæque ne hilum ad rem faciunt, ſed potius inter hectas numerantur. His præmiſſis ſequitur caput primum meæ Adſertionis.

CAPUT I.

Quod ſcripti hujus occaſionem & argumenta mea, contra iſtud Matrimonium nervosè proponit.

QUartus nunc vertitur annus, ex quo Gamologia mea Synoptica, de jure Connubiorum, in hoc rerum genere magis prominula complectens, & tam varia, tàm diffuſa, ac ſæpe confuſa, nervosè ac methodicè ſub oculi ictum ponens, dias prodiit in luminis auras. In quo Tractatu Lib.2.tit.5.pag.40?. adſeritur: In jure divino prohiberi uxoris ſororem Lev. C.XVIII. v.18. Niemand ſolle ſeiner leiblichen Schweſter heyrahten. Nimirum hujus indolis eſt hoc thema, qnod non nudius tertertius natum, nec in uno altero angulo Socratico educatum, ſed quod publicè receptum hactenus ſtetit inconcuſſum, omniumque Theologorum, qui hàc tempeſtate in univerſæ Germaniæ orthodoxis Univerſitatibus docent, & JCtorum celeberrimorum, imò Juris Civilis, Juris Canonici, juris municipalis, & conſtitutionum Eccleſiaſticarum, quæ de mari-

matrimonio ſimul diſponunt, ut vetuſtiſſima concilia ſciens ac lubens prætercam, dudum publicâ approbatione fuit corroboratum, ut ſic contraria adſertio tàm Eccleſiam ipſam, quàm jura omnia perturbare haud temere dicatur.

Placuit tamen viro Conſultiſſimo Dn. Chriſtophoro Joachimo Buchholtz JCto, Conſiliario Haſſiaco, & in Academia Rintelienſi jurium Profeſſori, hanc contrariam ſententiam repetere, & acriter defendere in ſua adſertione Reſponſi juris, pro matrimonio cum defunctæ uxoris ſorore, Rintelii publicis typis exſcripta, & argumentis armamentarii Juſtiniani, Dn. D. Johannis Ottonis Tabor JCti celeberrimi, ac Gamologiæ meæ, ut habet inſcripto, oppoſita. Quatuor priora capita oppugnando armamentario JCti Taboris ſunt deſtinata; at quintum caput ſe ſorſim accingit ad oppugnanda Gamologiæ meæ argumenta, quibus matrimonium cum uxoris ſorore paucis peſſum dedi. Ita enim lego in titulo allegati capitis, *Examen argumentorum Dn. Havemanni contra hoc matrimonium.* At verò, hæc mea argumenta non tàm operosè in citato Gamologiæ loco ſunt propoſita. Nam eo tempore, quo huic libro ferè coronidem impoſueram, plane neſciebam in ulla germaniæ Academia celebriori hodiernè doceri, licitum eſſe defunctæ uxoris ſororem ducere, quod ſuperiori ſeculo inſulſus quidam Judæus Hildeſienſis diſſeminavit, cui D. Hoffmannus illicò acceſſit, & pauci alii, quibus ſe Theologi eruditi maſculè oppoſuerunt, & hunc unius noctis fungum radicitus ſuſtulerunt. Quamobrem me paucis expediebam, ac textus Levit. C. XVIII. v. 18. expoſitionem ex mente Tremellii conſiderabam, eundemque textum Authenticum philologicè interpretabar, ac de variis variorum opinionibus circa hoc thema diſſerebam à pagina 400, ad pag. 410, ubi exſertis verbis dico, tum demum ad me perveniſſe Reſponſum juris pro matrimonio cum defunctæ uxoris ſorore, quando Gamologia mea ſub prelo calebat meque celeri oculo tantùm percurriſſe aliquot hujus Reſponſi folia. Notari hoc peto contra Domini opponentis crebriuſculam objectionem, quando aliquoties mihi opponit, quòd multa in illo conſilio, ſicco pede prætererim. Nam animus erat, tantum in argumentorum quorundam principalium robur incidenter & modeſtè inquirere, non autem totum conſilium perreptare, examinare, & hanc quæſtionem ex profeſſo tractare. Vix iſtud precium operæ videbatur, nec mihi tantum ab re mea tunc erat otii, Quamobrem ſex Gamologiæ folia, totum hunc capiunt de hoc matrimonio diſcurſum. Et in fine pag. 422. addo,

Ad cætera quæ in Reſponſo illo ſequuntur; me non demitto, Et poſt pauca, *Eo uſque ſe non extendit intentionis meæ meta.*

Quia autem primo intuitu obſervavi, Dn. Opponentem in ſuâ Adſertione mihi oppoſitâ, ſeriem & ordinem meum in Gamologia obſervatum, absque rupturâ non retinere, quando incipit ab iis, quæ dixi de argumentatione à contrario ſenſu, nimirũ, quod illa conſtrato pedi hoc loco non inſiſtat: quæ interruptio ex utriusque ſcripti collatione cuivis illico patebit. Itaque maximè in rem eſſe reor, argumenta mea ordine proponere, & quia mihi alienæ ac miræ ſequelæ paſſim, ſed malè imputantur in aſſertione illa, Syllogiſmis placuit ſingula illigare, ut contrarium cuivis, qui logicam didicit, & judicio pollet, nullo negotio ſuboleat, & fuco ac diverticulis ſtatim præſcindatur aditus & occaſio; imò ut benevolo lectori omnia ſint obvia, plana, ac perſpicua, cui cenſendi, ſentiendi, approbandi ac improbandi, liberrimam permitto facultatem. Mihi enim hoc unicè propoſitum eſt, dubias, citòque inter morituras ſemitas cautè declinare, & in viâ regiâ euntem divinam veritatem comitari, quam viam, concilia, Jura, conſtitutiones ſacras, Theologos, ac Jctos primorum principes, feliciter ante me trivisse video. Jam ad argumenta mea, Vialibus annuentibus.

Sequitur Examen A. A.

Capitis I.

Notæ ad num. 1. 2.

Num. I.

DOminus Examinator hic aſſerit, quod ex conſtitutione Eccleſiæ & ſuperioris magiſtratus &c. prohibitæ ſint nuptiæ, cum defunctæ uxoris ſorore id omnes Theologos ac JCtos docere *Reſpondeo.* Ego in cap. 1. Adſert. Reſponſi Moſis num. 1. dico. In Jure divino prohiberi uxoris ſororem, & hoc in omnibus Univerſitatibus Germaniæ doceri, rectè affirmo. En! De Jure divino loquor. Dn. Cenſor autem peſſimè hoc pervertit, & ſine fronte mutat prædicatum meum. Videlicet, De Jure divino prohibitum eſſe hoc matrimonium, quod omnes mecum doceant Academiæ. Ille autem hoc mutat & aſſerit, per conſtitutiones Eccleſiæ & ſummi magiſtratus prohiberi hoc matrimonium, & hoc doceri publicè. En fraudem! Quaſi tantum hoc unum doceatur publicitùs. Matrimonium hoc prohiberi per conſtitutiones Eccleſiæ & Magiſtratus, quod rude vulgus novit, de quo nulla eſt controverſia. Alterum autem, de prohibitione Juris divini, quod publicè doceatur, cùm negare nequit, ſophiſticè hoc

tegit ac prꝧterit, quaſi hoc matrimonium tantùm Jure humano ſit prohibitum, non Jure divino. Illud doceri in Academiis noſtris, hoc non. Egregium pervertendi artificium; (2.) probari vult quod dico, quod tamen ipſe negare non audet, nec unam Academiam nominare potis eſt, quæ hoc non doceat contra ipſum, nimirum matrimonium cum uxoris defunctæ uxore Jure divino prohibitum eſſe. Interim ad Luth[illegible]um; qui veterem ſuam ſententiam correxit, fruſtra provocat, q[illegible] infra videbimus, quamvis jam ante reſponderim ad hoc in notis Ded[illegible]ationis ad num. 1.2.3. uſque ad num. 8.

Num. 3. negat, quod illimitatè & acriter defendat, matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore. Verum, Adſertio Reſponſi Juris, hoc matrimonium poſt uxoris obitum à Deo permiſſum eſſe intrepidè aſſerit, idq; acriter defendi ibidem, oculis legentium eſt expoſitum. Abſit, id negare velle, quod oculi factum eſſe, vident. (2.) Rejicit deinde negotium in Collegium Juris cum hiſtorica narratione. *Reſpondeo.* D. Buch[illegible]zius acriter defendit Judaicam ſuam ſententiam, idque contra Jctum Tabor, omnium judicio magnum, & contra me, quod tamen Collegium Juris non facit. Solum collegium Juris inquit, textum Moſaicum, de cujus ſenſu genuino inter nos diſceptatur, ante aliquot annos explicaſſe, ſic ibi lego. De Collegio autem Theologico, de Conſiſtorio nihil audio, quod miror. Supra enim dicebat Dominus Cenſor, hanc rem ad Conſiſtoria, & ad Adſeſſores tam Politicos quam Eccleſiaſticos pertinere, quod hic propter ellipſin de Eccleſiaſticis non invenio. Num ita ordine ac decenter agatur juxta Tarſenſis Apoſtoli monitum, ipſe diſpiciat.

Num. 5. ſub verbis: *Nam eo tempore.* Mordacē ſarcaſmum vocat, quod dixerim, me, cum ederem Gamalogiam, neſciviſſe, in ulla Germaniæ Academia hodiè doceri, à Deo conceſſum eſſe ſororio, defunctæ uxoris ſororem ducere, quod Judæus Hildeſienſis inſulſus diſſeminaverit, *Reſpondeo.* Quod per ſe verum eſt, nimirum in nulla Academia Germaniæ doceri, quod matrimoniū hoc in lege divina permiſſum ſit, idque ex ipſa divini textus conſequentia, ſicut Cenſor Ipſemet hoc loco loquitur, ſed contrarium, videlicet, hoc matrimonium lege divina ſimpliciter prohibitum eſſe. Quodque Dominus Examinator jam jam negare non potuit, nullamque pro ſe Univerſitatem, idem illud ſecum docentem allegare, auſus eſt, Id ſarcaſmus non eſt. Condonandū igitur hic erit mordaci calamo. Quod de diſpenſatione addit, falſum eſt, Jeſuiticum eſt, quod infra ſolidiſſime probabo. Num homo contra Deum inſurget, & diſpenſabit in divinis prohibitionibus? Apage! De Judæo Hildeſienſi, ait, falſum hoc

eſſe

eſſe, quod tamen notorium eſt, cui Judæo totum Miniſterium Hildeſienſe contradixit, cui Jenenſis Academia contradixit. Quæ ſequuntur usque ad num. 14. lubens prætereo, quia tantum ordinem in Gamologia obſervatum, concernunt, quem interrupiſſe Dn. Cenſorem queror, ad quod cui reſpondet, liberum ſibi in hac re arbitrium relictum eſſe, quod tamen leges diſputandi ipſi non permittunt, Quod porro ſequelas meas, miras & alienas eſſe putat Dominus Cenſor, in eo mirè fallitur, ut hoc videat abundè, ideo ad rem ipſam me nunc accingam, viſurus quid præſtiterit bonus Bucholtzius in examine argumentorum meorum. Omnia breviter, &, nervosè, ſine tautologia, circuitione, digresſione, diffuſa rhetoricatione, quibus uti cogitur Dnus Examinator, in ampla ſuæ examinationis ſylva, ut latere queat. Jam ſub umbris veſpertinis, jam ſub corylis, ſub quernis fruticetis, inter arbores, cum Adamo, quem mala explicatio legis de non eſitando vetitæ arboris fructu, ad iſta umbroſa miſerè coegerat.

ARGUMENTUM I.

PRimum meum argumentum, cujus mentio fit in Gamologia fruticatur ex Levit. c. XVIII. v. 16. Gamol. pag. 404. *Et non revelabis nuditatem uxoris fratris: nuditas fratris tui ipſa.* Mulier igitur ſucceſſivè nubens duobus fratribus, impingit in gradum primum lineæ collateralis æqualis, qui in allegatis verbis planè eſt prohibitus. Sed & vir, qui ſucceſſivè ducit duas ſorores, impingit in eundem gradum prohibitum. Quis ergò concederet duas ab uno duci ſorores quod Deus eâdem operâ hic prohibuit, quando mulieri interdixit duobus ſucceſſivè nubere fratribus? Nam ubi [illegible]m ratio, eademque propinquitas eſt, ibi idem jus, ſibi locum vendi[illegible]er[illegible] eſt ipſâ certitudine. I

Jam colligo Syllogiſticè.

Quicunque impingit in primum gradum lineæ collateralis æqualis à Deo expreſſè prohibitum, is peccat.

Atqui, ducens duas ſucceſſivè ſorores, impingit in primum gradum lineæ collateralis æqualis, à Deo Levit. C. XVIII. v. 16. prohibitum. Ergo.

Hoc argumentum ab inſtantiis malè ſtantibus infrà vindicabo, ſi quas fortaſſean contra gradus in arenam deſcenſuras videro, quas ab aliis clariſſimis tàm Theologis quàm JCtis dudum proſtratas eſſe, ſatis memini.

Sequitur examen.

Poſtquam ad illa heterogenea, & à quæſtione aliena, à Domino Examinatore per odioſam tautologiam conglomerata, hactenus accuratè, re-

D 2 ſpondi,

ſpondi, nunc ad rem ipſam progrediar, & oſtendam, quod primum meum argumentum ſuis inſtantiis labefactare nullo modo potuerit. Idque agam candidè, methodicè & apertè. Invenio autem ſub numeris 1. 2. 3 uſque ad 8. Examinatoris inſtantias quinque, quæ jam ſequuntur, ac ſolidiſſimè hic confutantur.

INSTANSTIA I.

Adſerere audet Dominus Examinator, argumentum meum primum non fruticari ex Levit. c. XVIII. v. 16. ſed ex cerebro meæ Gamologiæ.

Reſpondeo.

Et non revelabis nuditatem uxoris fratris tui, nuditas fratris tui ipſa. Hæc verba leguntur, in illo à me citato capite & verſu, Levit. c XVIII. v. 16. Revelare nuditatem, notat conſuetudinem maritalem κατ' ἐυφημισμὸν. Eſtque deſcriptio ab antecedente, ex quo conſequens intelligitur, ſcilicet ex antecedente retectione partium, quas natura amat tegi, intelligitur conſequens, ſive maritalis conſuetudo. Vide Auguſtin lib. 4. Contra Julianum cap. 16. Tom. Cæterum, Tu frater non conſueſces, vel rem non habebis cum uxore fratris tui. Hæc eſt prohibitio divina. At quænam illius prohibitionis ratio eſt? Certè hæc, quæ ſequitur, quia uxor defuncti fratris tui, eſt nuditas (ערות אחיך) fratris tui. Hoc eſt. Nudata eſt à fratre tuo. Illa autem retectio ſive denudatio peperit talem propinquitatem, ſeu affinitatem, quæ illico gignit hanc prohibitionem, propter quam tu fratris tui uxorem ducere non potes. Hic habemus textum Moſaicum, non autem Gamologiæ meæ cerebrum. Ex hoc textu neceſſaria fruticatur conſequentia, & planè immota, idque inſitâ vi, ſine omni detorſione. Tu ſoror non revelaberis à ſororis tuæ defunctæ marito; Vel, Ille non revelabit nuditatē ſororis defunctæ ſuæ uxoris, ille non conſueſcet tecum, nec tu cum illo. At quænam hujus prohibitionis ratio eſt? Prorſus eadem quæ ſupra. Quia ſoror tua eſt nuditas ſororii tui. Hoc eſt, ſoror tua nudata eſt à ſororio, ſive defunctæ ſororis tuæ marito. Illa autem denudatio peperit propinquitatem, ſeu affinitatem omnino talem qualis erat prior, inter fratriam & fratrem defuncti, prorſus eandem, & in nulla atomo aliam. Ergo neceſſariò ſequitur eadem prohibitio, inter te ſororem ſuperſtitem, & ſororium, ſive ſororis tuæ defunctæ maritum, quæ antea à Deo promulgata eſt inter fratrem & fratriam. Clara ex textu citato immota, publicè approbata, & in Eccleſia orthodoxa recepta ſunt hæc

omni

omnia. Cadit igitur inanis loquentia Dn. Examinatoris, ac, ſi hæc ex cerebro Gamologiæ fruticentur, quod quilibet falſiſſimum eſſe hic deprehendit. Propinquitatis identitas hic eſt, quamvis in perſonis ſit diverſitas: Ibi frater eſt ſuperſtes, & fratria. Hic ſoror ſuperſtes & ſororius. Eadem inter illes omnes ſtat propinquitas, & eundem parit effectum utrobique nimirum divinam prohibitionem/in v,16. ab ipſo Deo inculcatam,

INSTANTIA. II.

Pergit Dn. Examinator, & dicit, Gamologiam fingere gradus, cum tamen Moſes in prohibitione certarum perſonarum acquieſcat.

Reſpondeo.

(1.) In hoc diſcurſu meo nullam facio graduum mentionem, idque debitâ operâ, ſed ex ſolis textus Moſaici verbis jam citatis, Levit. c. XVIII. v.16. ex propinquitatis identitate luculentè probata, immotam conſequentiam & prohibitionem divinam oſtendo, quâ æquè ſoror ſororio, (die Schweſter/ihrer verſtorbenen Schweſter geweſenem Ehemann/ eſt prohibita, ac frater fratriæ eſt prohibitus. Hæc igitur exceptio de gradibus hic cadit, ubi non audiuntur gradus. Noc opus eſt ſtylo in Eccleſia & foro uſitatiſſimo hic uti, ſufficit eadem probata propinquitas ſtylo Moſaico. Sic Cenſor iſtis foliis de gradibus ſe tegere nequit. Qui tamen paſſim meminit linearum rectæ & collateralis, de quibus αὐτολεξεὶ in Moſe ne gry, nemy. (2) Notet Dominus Examinator, quomodo ipſe hic examinetur à communi Germaniæ Præceptore Philippo Melanchtone Tom. 1. p. 339. Edit. Witteb. Anno M.D. LXII. *Intelligatur*, inquit, *Textus* (Levitici) *de gradibus, non tantum de perſonis, ut Judæi nugantur*. Sic Dominus Bucholtzius, aſſerente Philippo iterum hic judaizat, & cum Judæis contra gradus nugatur, non autem ſolidè diſputat. Rectè! Audiat inter alios Theologos D. Lutherum Tom. V. Jenenſi Germ. fol. 255. in fine. D. Hafenrefferum Loc. Theol. lib. 3. loco x. pag. 636. *Conſtans eſt & manet regula, quo gradu prohibito, omnes caſus prohibiti ſunt, qui ad gradum illum poſſunt accommodari*. Et paulò poſt. *Si non ad gradus, ſed ad perſonas duntaxat reſpiciendum quis putet, plurimæ abſurditates & inceſtæ nuptiæ conſequerentur. Liceret patri filiam ducere, matri liceret filio nubere. Liceret vitrico privignam ducere, Novercæ privigno nubere, nurui ſocero*, filiæ ſororis avunculo *aviæ liceret nepoti aut pronepoti, nepti avo aut proavo nubere &c. quia hæ perſonæ, hiſce verbis non exprimuntur*, Levit. c. XVIII. *quæ tamen omnia abſurda & inceſta.*

inceſta ſunt. Conferat Auguſtin: Tom. 4 quæſt. 76. in Levit. & obſervet *quædam non commemorata ex commemoratis eſſe intelligenda.* Nam (1.) cauſa prohibitionum à v. 6. ad v. 17. generalis eſt proximitas carnis, tam affinitatis quam conſanguinitatis. Generica illa proximitas prohibens, non tantum concernit certas perſonas nominatas, ſed etiam non nominatas, nullus homo accedet ad prozimam carnis. Non hic non ille tantum qui nominatur. (2.) Ubi eadem ratio, eadem ſpecialis propinquitas eſt, ibi idem Jus locum habet, quod Jus quamve prohibitionem à Deo decretam, nullus homo mutabit, niſi Deus excipiat & concedat. Extra hoc propinquitas prohibens manebit prohibens. Pelargus in Levit. pag. 172. *Non tantum prohibet perſonas, quas ordine recenſet Verum etiam ut jureconſulti cum Theologis doctiſſimè explicant, ipſos vult obſervari gradus* &c. En tales ferunt fructus Rabbinicæ nugæ, & Jeſuitica ſapientia ſolipſorum, quam pulchrè perſtringit Italus, ille, ſub nomine Lucii Cornelii Europæi, de qua novitate in mea dedicatione loquor, quam Dn. Bucholtzius non audet attingere. (3.) Dico apertè in Reſp. Moſis, ſub argumento meo primo, me objectiones & argumenta contra gradus directa, infra examinaturum, quod etiam feci in adſertione Moſis pag. 91. Potuiſſet igitur Examinator, nativo ſuo loco hanc controverſam quæſtionem reponere, niſi ipſi tautologia & confuſio tantopere arriderent, & niſi probè ſciret, has Divas eniti umbras veſpertinas, ſub quibus pulchrè latere poteſt ſophiſticatio, errorum alma nutrix, & laborioſa obſtetrix. Sed uno verbo, dum ſtylo Moſaico utor, de nuditate & hinc nata affinitate, de gradibus nihil attinet digladiari. Nam propinquitas quam Deus verſ. 16. vult eſſe prohibentem, illa, ubi ubi eſt, prohibet. Sed eſt inter Sororium & Sororem uxoris. Ergo.

INSTANSTIA III.

Dn. Examinator negat, eandem eſſe propinquitatem, inter fratrem ſuperſtitem & fratriam, & inter ſororem ſuperſtitem & ſororium. Et addit, Rationem ab ipſo Legislatore eſſe datam. Fratria, nuditas fratris tui eſt, *quæ non quadret nuptiis cum ſorore uxoris, quæ dici non poſſit nuditas ſororis.*

Reſpondeo.

Eandem eſſe propinquitatem in utroque caſu, ex ipſo textu, ſolidè jam oſtendi, in reſponſione ad inſtantiam hanc primam Domini Examinatoris, quo lectorem remitto. Soror, ait Cenſor, non poteſt dici nuditas ſororis

ſororis. Miror acumen! Nec fratria poterat dici nuditas fratris illius, qui adhuc juvenis erat, in ædibus agens paternis. Quamobrem clarè dicit Moſes, fratria eſt nuditas (אחיך Achicha) fratris tui, non autem, eſt nuditas tua. Sed per hanc denudationem, ſive retectionem inter fratrem tuum defunctum & fratriam tuam, ſtatim inter te fratrem ſuperſtitem & fratriam, nata eſt arcta propinquitas ſive affinitas, quæ fratriam tibi prohibet, & te viciſſim fratriæ. Hinc vos non poteſtis inire matrimonium, quod Deus ipſe prohibuit, & per rationem additam ſtabilivit. Sic ſoror ſuperſtes non eſt nuditas ſororis defunctæ, niſi denudationem, ſeu maritalem congreſſum, inter fœminam & fœminam, ſororem & ſororem defunctam, qualis erat inter fratriam & fratrem defunctum ineptiſſimè fingere velit Dn. Cenſor, quo Catoni in ipſis Saturnalibus riſum extorqueret. Hæc autem denudatio inter ſororium & ſororem tuam defunctam, efficit eandem prohibitam affinitatem. Ergo tu ſoror ſuperſtes non potes nubere ſororio tuo, quia ſoror tua defuncta eſt nuditas ſororii tui, qui ſororius tuam ſororem defunctam nudavit, & defuncta ſoror â ſororio tuo nudata eſt. Videt hic Dn. Examinator, ſe vitrum hic lambere, & pultem non attingere. Uno verbo. Ut fratria nuditas eſt fratris defuncti. Sic ſoror defuncta nuditas eſt ſororii. Frater defunctus nudavit fratriam. Et ſororius nudavit ſororem defunctam. Hinc ſurgit eadem propinquitas. Ergo eadem prohibitio. Oſtendat quæſo mihi Cenſor differentiam in propinquitate, qui didicit ſapere. Manebit certè eadem. Ergò manebit eadem in utroque caſu divina prohibitio. Ergò Dn. Examinator ne atomum quidem hic refutavit. Videatur Examen pag. 103. num. 46. ubi eandem propinquitatem cogitur concedere. Tanta vis eſt veritatis.

INSTANTIA. IV.

Pergit. Hac ſtante prohibitionis ratione, inquit, nunquam quis ducere poſſet viduam fratris, cum ſemper maneat in eodem gradu, ſeu vivat frater ſeu mortuus ſit, ſive liberos reliquerit ſive non. At hoc falſum eſſe ex Deut. c. XXV. v. 5.

Reſpondeo.

Quod nemo unquam poſſit ducere viduam fratris hoc hodiè verum eſt in toto Chriſtianiſmo, Quod maneat eadem cognatio, ſive vivat

frater ſivè mortuus ſit. Et hoc verum eſt. Sed quorſum dicit Dn. Examinator, ſive vivat? Profectò, ſi quis fratriam duceret fratre vivente, naſceretur adulterium. Nos autem hic de adulterio non diſputamus. Ergo hoc alienum eſt, & extra oleas vagatur. Eadem propinquitas quoque manet, ſivè liberos reliquerit frater; ſive non. Interim dicit, fratrem tamen duxiſſe fratriam, ſi ille absque liberis deceſſiſſet, idque ſtante prohibitione ejusque ratione ſive arctiore affinitate, ex nudatione orta Levit. XVIII, v. 16. Hac autem de re nemo dubitat. Quia in textu Deut. c. XXV. v. 5. erat divina ac luculenta exceptio, divina diſpenſatio, quæ valebat tantum apud ſolos Judæos, quæ valebat tantum in illo caſu, quando frater absque prole moriebatur. Quæ ideo valebat, ne tribus confunderentur, ſed diſtinctæ durarent uſque ad Meſſiam. Interim prohibitio Levit. cap. XVIII. v. 16. de fratria non ducenda, erat ac manebat divina regula. Sic rectè reſpondit Auguſtin. quæſt. 61. in Levit. & Lyra, & D. Gerh. in comment. Deut. & alii multi, quam reſponſionem ipſe Bellarmin. lib. 1. de matrim. ſacr. c. 27. lit. C. vocat probabilem. Malè igitur colligit cenſor, inter fratrem ac fratriam, ſtante prohibitionis ratione ſive affinitate in Levit. nemo poteſt fratriam ducere. Sed hoc falſum eſt ex citato loco Deuteronomii. Imo, hæc ſequela nulla eſt, quia Deus in uno caſu, per exceptionem & diſpenſationem expreſſè hoc conceſſerat, idque ſtante regulâ Levit. cap. XVIII, v. 16. Diſtinguendum igitur fuiſſet inter propinquitatem abſolutè, in ſe, & cum reſpectu prohibitionis relatè conſideratam. Hæc in Levit. c. XVIII, v. 16. reperitur, non autem in Deut. XXV, v. 5. propter intervenientem conceſſionem, quæ retentâ propinquitate tollit prohibitionem. Nos autem hic de fratria propriè non diſputamus, ſed de uxoris defunctæ ſorore. Oſtendat mihi Dn. Examinator talem expreſſam exceptionem & divinam deſpenſationem, de uxoris defunctæ ſorore ducendâ, qualis legitur de fratria in uno caſu illo ducenda, quando frater absque relictâ prole abierat ad meliores, idque exſertis verbis conceptam, nimirum hanc. In caſu, quando uxor mortua eſt, tunc ſororius defunctæ uxoris ſororem ducere poteſt. Hæc verba nuſpiam in univerſis Bibliis leguntur, nec ex gloſſis Judaicis ac Jeſuiticis neceſſariâ conſequentiâ eliciuntur. Hoc pacto ruit alto S. culmine Troja, & ſimul corruit Domini Examinatoris ſyllogiſmus. Cujus concluſionem dicit eſſe falſam. Ducens viduam fratris ſine prole decedentis peccat. At is olim non peccabat inter Iſraëlitas, habebat enim divinam diſpenſationem perſpicuam, & conceſſionem dilucidam. Interim tamen extra caſum deficientis prolis, ſi duxiſſet fratriam peccaſſet graviter, quia egiſſet contra legem ſive

prohib

prohibitionem Levit: Cap. XVIII. v. 16. quæ erat ac manebat lex conſtans ac perpetua. Et ſic Dn: Examinator hic Examinandus hæret. Diſpiciat quoque, quomodo conciliare poſſit, quod ſcribit num. 4. ratio prohibitæ fratriæ hæc eſt. Nuditas fratris tui eſt. Sed ex nuditate illa naſcebatur propinquitas ſive affinitas. At num. 6. ſcribit. Moſen non prohibuiſſe fratriam duci ob propinquitatem. Quaſi ex retectione non naſcatur affinitas, ſive prohibens propinquitas. Hic Dn. Cenſor ſibi non conſtat. Propinquitas enim non eſt inter gradus ſed inter perſonas. & ſaltem per gradus oſtenditur.

INSTANTIA.

Ad ſyllogiſmum meum reſpondet. Majorem niti falſo præſuppoſito, ac ſi Deus gradum primum lineę tranſverſę ęqualis prohibuerit quod concedi nequeat.

Reſpondeo.

Dn: Examinator ſyllogiſmum meum, uti oportebat fieri, non repetivit integrum quod videbit, qui Reſponſum meum Moſis cum hoc examine hic conferre, & utrumque primoribus tantum labris libare voluerit. Ego titulum veſtivi phraſi Eccleſiaſticâ. Qui impingit in gradum primum lineæ collateralis æqualis prohibitum, is peccat: Atqui, ducens duas ſucceſive ſorores in gradū illū impingit. Ergo. jam eundē Syllogiſmū, ne cenſor ullo modo ſub gradibus latere queat, veſtiā phraſi Moſaica. Qui impingit in prohibitionem divinam Levit. Cap. XVIII. v. 16 â Moſe propoſitam, is peccat. Atqui ducens defunctę uxoris ſororem, impingit in illam prohibitionem. Ergo! Major eſt certa Minor ex eadem propinquitate eſt probata ſolidiſſimè in præcedentibus. Ergò ſtat concluſio. Quid jam confutavit Dn. opponens? Ne grynemy ne atomū! Et hic omnino verum eſſe deprehendo, quod non abſque omine poſuit Dn: Examinator, in examinis ſui titulo vel inſcriptione, ubi dicit, quod omnia argumenta contraria rejicere velit (*omnibus ordine reiectis.*) Certè ille rejicit argumenta, ſed non Confutat argumenta. Et tantum contra argumentum meum primum, quod per neceſſariam conſequentiam ſtabit, quam diu Reſponſum Moſis Levit: Cap. XVIII. v. 16. ſtabit.

 ARGV-

ARGVMENTVM. II.

SEcundum argumentum, quod familiam ducit, propono Gamol.
3. pag 406. Verba ſic concepi. Luculenta eſt prohibitio: *Sororem uxoris tuę non accipies* Levit c. XVIII. v. 18. Paulo poſt pag. 413 414. dico *verſiculus decimus octavus jam jam allegatus, parit enunciationem univerſaliter negantem.* Et mulierem ad uxorem ejus לא תקח Lo thikkach) omnino non accipies. Antequam Syllogiſticè concludam, paulò fuſius interpretabor mentem meam. Certum eſt ex Grammaticis, poſituras, puncta, ſive interpunctiones, ut Cicero vocat, eſſe quaſdam quaſi vias ſenſuum, & lumina dictionum, quæ ſic lectores dociles faciunt, tanquam ſi clariſſimis expoſitoribus imbuantur, quod à Philologis utiliſſimè citari ſolet è Diomede. Et ipſa experientia teſtatur, in omnibus omnium gentium linguis hoc eſſe veriſſimum. Tolle ſis interpunctiones, comma, ſemicolon, colon; & actutum ſub ancipiti hærebit oratio: imò, mutatâ ſola interpunctione, ſæpe ita mutatur orationis ſenſus, ut nullâ voce mutatâ, nihilomninus contradictorias inde liceat elicere. Sexcenta id docent exempla. Pauca è multis hæc ſunto.

4. Regem occidere nolite timere vos decet quod ſi conſenſeritis ego non diſſentio. Indiſtinctam hanc locutionem qui ita diſtinguit. Regem occidere, nolite timere, vos decet: Quod ſi conſenſeritis: Ego non diſſentio. Profectò, is ſe alligat Regicidii. Qui autem eandem orationem ita diſtinxerit. Regem occidere nolite, timere vos decet: Quod ſi conſenſeritis, ego non; Diſſentio. Hæc interpunctio diſtinguentem abſolvit, & ſenſum parit planè contrarium. Sic: Porta pate miſero nulli claudaris honeſto. Jam patebit porta omnibus bonis. Sed ſi ita diſtinguere allubeſcit: Porta pate miſero nulli, claudaris honeſto. En, unicum comma loco ſuo motum, ſenſum jam gignit contrarium, & ſic nulli amplius porta patebit. Dabo quoque exemplum in lingua Heberina, quæ ſuos habet Reges, accentus diſtinctivos, & nobiles pauſas, qui ad genuinum ſenſum alicujus textus probè eliciendum, non nunquam ſoli ſufficiunt. Quod D. Helvicus, Bolius, & celeberrimus Dn. D Varenius, amicus meus ſingularis, in eruditiſſimis ſuis in non nullos V. T. libros editis commentariis, abunde, & cum applauſu in illuſtri Varnianâ dudum oſtendit. Exemplum meum depromo ex Gen. C. XLIX, v. 9 verba ſic habent,

כי יבא שילה לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד

Deſipien

Deſipientes quidam Judæi, comminiſcuntur ex ſuo cerebro talem interpunctionem, quæ ſpurium hunc enititur ſenſum. Non auferetur ſceptrum de Jehuda, nec legislator de medio pedum ejus in æternum: Quia veniet Siloh, ſive Meſſias. Hoc ſenſu poſito, nullum hic reperies ſignum venturi Meſſiæ. Et ſic ſatis tempeſtivè judæis is venire videbitur, quamvis ſextiduum venerit ante ultimum Mundi pyriſmum. Sed hunc ſenſum tenebricoſum hi tenebriones textui inferunt, quando unicum accentum diſtinctivum, ex ſuo loco genuino, ad vocem ſequentem protrahere conantur. Sed Theologi ac Philologi Anatolici rident has nœnias recutitæ plebeculæ, easque remittunt ad notabilem pauſam, ſive accentum diſtinguentem Athnach, qui in textu adſcriptus eſt voci רגליו Raglav, pedum ejus, non voci ſequenti עד Ad: quemadmodum hi judæi interpungere volebant. Hinc ſtatim eluceſcit genuinus ſenſus. Non auferetur ſceptrum de Jehuda, & Legislator de medio pedum ejus, donec veherit Siloh. Libemus nunc textum noſtrum controverſum, nimirum Levit. C. XVIII, v. 18. qui in originali lingua Hebræa ſic legitur.

ואישה אל אחותה לא הקח : לצריר לגלות
ערותה עליה בחייה :

Veiſchah & achotah lo thikkach: Iizror, legalloth ervathah alcha 6
bechajehah. Interpunctio talis eſt. Præcedit hic Miniſter Merca ſuum Tiphcha, idque ſub vocula Lo, non. Sequitur ſtatim Munach, præcedens ſuo more pauſam Athnach, quæ adſcripta eſt voci Thikkach aſſumito. & orationem ibi, tanquam notabile colon ſufflaminat, id quod ſæpe facit in allegato capite v. 2. 3. 4. 5. 6. &c. Imò ipſam prohibitionem luculentè diſtinguit, à ratione ſive cauſa, quæ ſequitur, ob quam prohibitio facta eſt, uti videre licet, v. 7 8. 10. &c. quemadmodum etiam in noſtro v. 18. Prohibitionem in vocibus, Lo tikkach, non accipies, ſtatim ſiſtit, & à ſequente ratione exaggerante diſtinguit. In alterâ verſiculi hujus parte couſpicitur Reſia, ſive comma; idque in voce Lizror, anguſtiâ affecturus. Poſtea ordine ſe excipiunt Dargi, Merca, & Tiphcha, continuantes orationem ad finem verſiculi. Stat igitur textus in ſua interpunctione Biblica ad hunc faciem; Et mulierem ad uxorem ejus non aſſumito; Pauſa! Athnach! Anguſtiâ affecturus, retegendo nuditatem ejus ſuper eam in vitâ ejus. Jam quæritur, an hæc prohibitio, 7
uſque ad pauſam ſe extendens, ſuppeditet enunciationem, purè, & univerſaliter negantem, An verò enunciationem limitatam, reſtrictivam,

 diſ-

diſpoſitivam, in certo caſu excipientem, affirmantem, & concedentem? Ego prius aſſero. Quia diſtinctio talis eſt. Et mulierem ad ſororem ejus non aſſumito: Hic inciſa quieſcit oratio, per pauſam celeberrimam Athnach, quæ enunciatio his æquipollet enunciationibus.

Nemo ſororis uxorem ducat,

Nulla ſoror ſororio nubat.

8 Qui autem enunciationem reſtrictivam & tantum in certo caſu prohibentem, donec uxor vixerit, quam diu illa affligi poterit, ex citato hoc verſiculo elicere tentat, illi neceſſario incumbet oſtendere, pauſam diſtinguentem Athnach, adſcriptam eſſe voci ſequenti Lizror, ad Laceſſendum, vel anguſtiâ afficiendum. Hoc modo

Et mulierem ad ſororem ejus non aſſumito ad Laceſſendum;

Pauſa;

Ita forſan alicui naſci videretur oratio reſtrictiva, & tantum in certo caſu laceſſendi, viventem irritandi, prohibens & negativa: Sed extra hunc caſum concedens, & plenè permiſſiva. At verò talis diſtinctio in nullis Bibliis hebræis eſt reperta. Oculi legentis hic erunt judices, nec aſſertio mihi oppoſita, contrarium oſtendet ullo in ſeculo: Hoc igitur tam firmiter poſito fundamento, quis non videt, quantâ intercapedine â ſe invicem diſtent hæ propoſitiones:

Nemo ducet uxoris ſuæ ſororem;

Nemo ducet & uxoris ſuæ ſororem ad laceſſendum.

Prior eſt Biblica & Moſaica, poſterior ex confuſione diſtinctionis Biblicæ, vel accentus diſtinctivi, ſiniſtris auſpiciis eſt genita, eòque ſenſu, quo obtrudi nobis vult, falſiſſima. Sic etiam illa enunciatio, quæ ſequitur.

Nemo ducet uxoris ſuæ ſororem, in vita ejus

Magis eſt monſtroſa, propter Metatheſin, & audacem tranſpoſitionem
9 verborum, quâ ultimæ verſiculi voces, *in vita ejus*, re' trahuntur in verſiculi medioxumum locum: Profectò ſic lemures forſan tumultuantur in ſacris Bibliis. Quod ſi hoc licitum erit in ſcriptis authorum, quidni ex loco quovis quidvis colligeretur, quod Autori ſcribenti ne quidem per febrim unquam in mentem veniſſet. Si quis jam quæſiverit, quid ergo verba ſequentia, an non fruſtrà ponuntur, ſi non ſunt reſtrictiva? Reſpondeo, verba non ſunt fruſtra poſita, interim non ſtatim ſunt limitativa, ſed ſunt verba exaggerantia, quod dudum ante me adſervit Dn. D. Gerhardus Tom VII. Loc. Theol. Et rectè quidem. Totam ſeriem

vel cohærentiam textus ita oſtendo. Nullo modo uxoris ſororem duces. Pauſa! Anguſtiâ affecturus es eam, hic eſt Refia ſive comma. Idque in hoc caſu, *Si retexeris turpitudinem ejus*, ſcilicet ſuperinductæ ſororis, *in vita eius*, ſcilicet uxoris tuæ. Poterat enim opponi, cur duæ 10
ſorores in uno thalamo prohibentur, quæ tamen Patriarchę Jacobo conceſſæ leguntur? Ideò præter cauſam, ſive rationem primariam, vel vicies in prçcedentibus verſiculis ſpecialiter, & in Levit. C. XVIII, v. 6. generaliter inculcatam. *Ne quis accedat ad proximam carnis*; additur hic quoque cauſa, ſive ratio ſecundaria, exaggerans malum domeſticum, nimirum perpetuas lites & jurgia, ex hoc matrimonio, in illo caſu, ſcilicet, ſi ſoror, vivente alterâ ſorore, ducitur, magno cum damno & cordolio certò certius oritura, quod Patriarcha Iacobus ſatis eſt expertus. Si quis opponere perrexerit. In textu legi. Et mulierem ad ſororem ejus non 11
adſumito. Hoc tantum reſtringi ad unicum illum caſum, quo duæ ſorores ſimul ſunt unius Mariti uxores. Nego! Sic enim habet Prohibitio.

Et mulierem ad ſororem ejus non adſumito. Sed mulier illa, de quâ textus loquitur, eſt ſoror uxoris, ergo ſororem ad ſororem nemo aſſumet. Planè hoc non fiet. Purè prohibitum eſt: Sed qui accipit uxoris ſororem, uxore ſive vivente ſeve mortuâ, is in utroque caſu aſſumit ſororem ad ſororem. Priorem enim habuit, alteram poſteà domum ducit, quod impium eſt, & in hoc textu ſimpliciter damnatum. Cœterum, aſſertio mihi oppoſita ſemper hic urget Gerundium in dum, quemadmodum loquuntur Grammatici. Non accipies ad laceſſendum, ad affligendum. Quaſi hebræum לצרור Litzror neceſſariò ſic verti oportet. Sed hoc fallit. Rectè Tremellius, Anguſtiâ affecturus es, tu eris affligens, retegendo turpitudinem ſuperinductæ. Sic litera Lamed ipſi makor ſeu infinitivo præfixa, ſœpe exponitur per participium, ut videre eſt Ioſuæ C. XXII, v. 5. 2. Sam. C. XVIII. v. 3. & aliis locis quod ſciunt omnes, qui linguam hebræam probè didicerunt.

Colligo Syllogiſticè.

Quicunque Sororio uxoris ſuæ Sororem univerſaliter & ſimpliciter prohibet, is nullo modo à Sororio eam duci concedit. 12

Atqui, Deus Levit. C. XVIII, v. 18 & v. 6. & 16. Sororio, uxoris ſororem univerſaliter & ſimpliciter prohibet.

Ergo. Deus Lev. C. XVIII. v. 6. v. 16. v. 18. uxoris ſororem nullo modo à ſororio duci concedit. Major eſt certa. Minorem ex ipſo textu, ejusque di-

ejusque diſtinctione Biblicâ ad oculum oſtendi, quę etiam à cœteris argumentis ex Levit. C. XVIII. v. 6 v. 16. ſuum non ex ſemiſſe accipit robur. Et hoc volebam, quando Gamol. pag. 413 414. dicebam. Verſiculum decimum octavum Levit. cap. XVIII. parere enunciationem univerſaliter negantem Dn. Opponens in his ſe exercebit; periculum facturus, an hic textus biblicus, turbata nativa diſtinctione, contempta celeberrimorum Theologorum orthodoxa ac pia expoſitione, unius atque alterius novæ ac periculoſæ ſe ſubdere velit interpunctioni, & interpretationi. Ego omninò credo, eximios Ictos tutius peregrinari in corpore juris, quàm in bibliis, idque eò certius credo, quo plura & quidem magni momenti adminicula, ſacro interpreti maximè neceſſaria eſſe non neſcio, quæ propemodum nunquam ambiunt illi, qui altis jurium triremibus aliquando præeſſe ſatagunt.

SEQVITVR EXAMEN.

Dicit Dominus Examinator, Hoc argumentum familiam ducere, quo proſtrato facili lapſu procidant alia.

Reſpondeo.

Non malè. Nam hic agimus de genuino ſenſu textus controverſi, qui extat Levit. C. XVIII. v. 18. quem Dominus Examinator ſic allegat in titulo examinis ſui:

> *Uxorem ad ſororem ejus non accipies: Ad laceſſendum, ad revelandum nuditatem ejus, ſuper eam in vitâ ejus.*

Iunius & Tremellius, excellentiſſimi Hebræi, ſic vertunt:

> *Item mulierem* (unam) *ad alteram ne adſumito: Anguſtiâ afficturus* (hanc *retegendo turpitudinem illius* (ductæ) *ſuper hanc in vita ipſius* (uxoris.)

De genuino ſenſu hujus prohibitionis tres ſunt ſententiæ.

PRIMA

PRIMA SENTENTIA.

Communior Theologorum orthodoxorum.

PRohiberi hi ajunt hoc textu, ne quis ducat ſororem uxoris ſuæ, idque ſimpliciter juxta verſiculum ſextum Levit. c. XVIII. *Nemo homo, ad ullum propinquum vel propinquam carnis ſuæ acceditote, ad retegendam nuditatem. Ego ſum Iehovah.* Qui verſiculus complectitur principem ac nativam cauſam omnium prohibitionum ſequentium in genere hoc, vel ut Beza loquitur de conjug. 69. eſt caput omnium particularium prohibitionum. Et juxta verſiculum decimum ſextum, qui dum fratri prohibet fratriam, eâdem operâ, & propter eandem propinquitatem, ſororio prohibet uxoris defunctæ ſororem. In verſiculo autem decimo octavo. præter hanc cauſam principalem prohibitionis ex verſu ſexto hauſtam, ſemper ſubintellectam, aliam cauſam minus principalem ab afflictione, lite ac jurgijs domeſticis deſumptam addi, quæ ſufflaminare quoque poteſt impium conatum, calens in illo caſu ſi quis Iudæus Iacobi exemplum velit imitari, & duas ſibi ſimul affibulare ſorores.

Sententia ſecunda, Hebræo Idiotiſmo propior, eſt quorundam Theologorum orthodoxorum celeberrimorum, Anacolicarum lingvarum peritisſimorum, D. Pauli Tarnovii, D. Hafen refferi, D. Iohannis Tarnovii, D. Iohannis Horbecii, in Academ: Leidenſi Profeſſoris, ac inſignium Philliogorum, Iunii & Tremellii, quibus etiam Beza accedit & alii viri eruditisſimi, Theologi excellentes.

Hi ſtatuunt, citatum verſiculum decimum octavum, de uxoris defunctæ ſorore non ducendâ, planè non agere; ſed textum clarè ac perſpicuè, juxta uſitatiſſimum & elegantiſſimum lingvæ Hebrææ Idiotiſmum polygamiam dumtaxat prohibere. (Quamvis Philologis non nemo dubitet, cujus dubia hic non attingo.)

Quod ita probant

(1) Quia lingua Hebræa frequenter & eleganter in Genere Maſculino

lino viri & fratris,in genere autem fœminino, uxoris & ſororis voces uſurpat, in quarumcunque rerum ſimilium copulativis.

Exempla in Maſculinis.

Geneſ. c. XXVI. v. 31. Et ſurgentes mane, jurârunt לאחיו איש, *vir fratri*, hoc eſt, alter alteri. Exod. c. XXV, v. 20 Sintque Cherubini, faciebus ſuis obverſis [איש אל אחיו] *vir ad fratrem ſuum*, hoc eſt, unius ad alterũ. Exod. c. XXXVII. v. 9. Cherubini facie ſua [איש אל אחיו] *vir ad fratrem ſuum*, hoc eſt, unius ad alterum. Iobi XLI. v. 17. *vir in fratre ſuo* adhærebat [איש באחיהו] de ſquamis Behemoth, altera alteri ſquamæ penitus adhæret. Quod ipſe ſpiritus ſanctus interpretatur in verſu præcedente אחד באחד alter alteri. Una ſquama alteri ſic cohæret, ut ventus non poſſit intervenire illis. Ioel. cap. II. verſ. 8 de locuſtis [ואיש אחיו *vir fratrem ſuum* non premet, hoc eſt, alter alterum. Plura videantur Geneſ. cap. XXXVII. v. 19. cap. XLII. v. 21. 28. Num. XIV. verſ. 4. Exod. cap. XVI. v. 15. Malach. II. v. 10.

Exempla in fœmininis

Exod. cap. XXVI. v. 3. Quinque cortinæ erant conjunctæ, (אשה אל אחתה Iſchah el achothah, *uxor ad ſororem ſuam*, hoc eſt, una ad alteram. Exod. cap. XXVI. v. 5. Anſulæ אישה אל אחתה. Iſchah el achothah, *uxor ad ſororem ſuam* hoc eſt altera ad alteram, & v. 6. conjunges cortinas (אישה אל אחתה) Iſchah & achothah, *uxorem ad ſororem ſuam*, hoc eſt, *alteram ad alteram* & verſiculo 17. duo cardines, vel duæ manus tabulæ unà diſpoſitæ, *uxor ad ſororem ſuam*, hoc eſt, *altera ad alteram*. En, quatuor exempla frequentis hujus Idiotiſmi, in uno capite. Ezech. cap. 1. v. 9 junctæ alæ ואישה אל אחתה Veiſchah el achothah, *uxor ad ſororem ſuam*, hoc eſt, *unaquæque ala ad alteram*. In eodem capite verſ. 23 & ſub iſto expanſo alæ illorum rectæ, *uxor ad ſororem ſuam*, hoc eſt, una ad alteram. Et c. III. v. 23. Audivi ſonum alarum contingentium *uxoris ad ſororem ſuam*, hoc eſt, altera contingebat alteram. Et ſic in aliis pluribus locis.

Ergò eadem verba Levit. cap XVIII. v. 18. אישה אל אחתה Iſchah el achothah, juxta ſtylum ſcripturæ rectè vertuntur, Et mulierem alteram ad alteram, vel unam ad alteram non adſumito. Et ſic nil aliud prohibetur hoc verſiculo quam polygamia.

(2) Quia matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore jam ante erat prohibitum, Levit. c. XVIII. verſ. 16. quando prohibebatur matrimonium inter

inter defuncti fratrem & fratriam, idque per neceſſariam conſequentiam. Ergò non iterum per odioſam tautologiam prohibetur verſiculo 18.

(3.) In verſiculo 18. Levit. cap. XVIII. prohibentur (לצרר) mulieres ad laceſſendum, mulieres ſe invicem angentes & laceſſentes. Atqui uxores digamorum ac Polygamorum ſunt angentes, quod probatur ex 1. Sam. cap. I. v. 6. Nam ipſam (Channam) valdè provocabat (צרתה) æmula ejus (Peninna) ut commoveret eam, quia occluſerat illam Jehovah. Sic Geneſ. cap. XXX. v. 1. quum autem videret Rachel, ſe non parere Jacobo, æmulata eſt (ותקנא) ſorori ſuæ &c.

(4.) Quia ex hoc textu Jeſuiticè & Judaicè explicato, quaſi poſt mortem uxori, liceat ſororio alteram ſororem ducere, illicò infertur notabilis falſitas, ex verſ. 6. & verſ. 16. Levitici, & peſſima impuritas, propter affinitatem arctiſſimam, quæ inter illas perſonas ſororium & uxoris defunctæ ſororem, matrimonium non prohibere hîc impiè docetur.

(5.) Omnes leges ſpeciales, quæ pertinent ad legem generalem v. 6. quæ nuditatem retegere vetat nimis propinqui vel propinquæ, omnes iſtæ incipiunt à voce (ערות) Ervath) quæ nuditatem notat. Nuditatem hujus, nuditatem illius non reteges, quod oculi teſtantur, incipiendo à verſu 6. ad v. 17. incluſivè. Sed verſiculus decimus octavus, & præterea nullus alius inter ſequentes verſiculos, usque ad finem capitis, ab illa voce incipit. Hinc optimè colligitur, quod in verſiculo decimo octavo, & reliquis, uſque ad finem capitis nulla fiat prohibitio congreſſus maritalis cum nimis propinquo & propinquâ, propter intercedentem proximitatem carnis, de qua verſus ſextus loquitur ſed quod in verſiculo 18. polygamia, & in cœteris alia prohibeantur peccata, videlicet verſ. 19. concubitus cum menſtruatâ, verſ. 20. adulterium cum uxore proximi, quod inſpectio iſtorum verſiculorum, cuivis legenti nullo negotio oſtendit usque ad finem capitis.

(6.) Antecedentes verſiculi, rationem prohibitionis à proximitate deſumunt, quod non fit in v. 18. Ceſſante proximitate, ſequitur, quod verſiculus ille non agat de uxoris ſorore. Hæc ſententia dat peſſum omnes Bucholzii inſtantias.

Tertia Sententia Judæorum Thalmudiſtarum ac Jeſuitarum eſt, quam ſequitur Dn. D. Bucholzius.

Hi homunciones, nec diſtinctionem Biblicam, omnium hebræa legentium oculis expoſitam, nec verborum harmoniam curant, ſed periculosè adſerunt, ſororem uxoris eſſe quidem prohibitam, in verſu 18. ſed tantum ad affligendum, quatenus prior uxor per alteram affligitur. So-

 rorem

rorem alteram tantum eſſe prohibitam in vita ejus, ſcilicet uxoris prioris, vel illâ adhuc vivente. Mortuâ autem illâ, nullum eſſe dubium, quin liceat alteram ſororem ducere, quod Levit. cap. XVIII. v. 18. ſit conceſſum à DEO. His ſe adſociat Dn. Bucholzius, nimirum ſocietati, quæ malè audit in toto ferè terrarum orbe, qui ipſemet ex verſione latina Hottingeri allegat & laudat gloſſam Rabbi Levi, & poſtea judaizantem gloſſam Vatabli, eamque approbat, quod ſupra oſtendi ad examen proœmii ad num. 8. 9. 10. 11.

N O T A.

Magna eſt levitas, recedere à ſententiâ Theologorum in Eccleſiâ orthodoxâ receptâ & in Levit: cap. XVIII. verſ. 6. & verſ. 16. radicatâ, & deflectere ad Judæorum & Jeſuitarum opinionem periculoſam & audacem, quæ ad impuritatem & inceſtum ducit, quod notari cupio contra Dn. Bucholzium, qui ſupra dicebat, hic non eſſe articulum fidei, Judæos & Pontificios etiam locum aliquem rectè interpretari poſſe. Hic videt luculentam cauſam, cur ſit periculoſa, ſpuria, ac ſpurca hæc, Thalmudica opinio Idque facit D. Bucholz, antequam duas illas ſententias, & orthodoxas expoſitiones Theologorum, quas ipſi jam oſtendi, ſolidè refutavit. Non refutavit primam, ſecundam autem ne minimo digito in ſuis ſcriptis unquam tetigit, quam refellere ipſi erit impoſſibile, etiamſi omnes intenderit nervos cerebri, omnesque ſuos ſubtiles ſpiritus, ſi quos habet in hypochondriis, peremptoriè citet in ſacram hanc Palladis arcem, Nulla igitur ſontica cauſa ad refutationem examinis hujus me impellere poſſet, antequam radiantem veritatem, & expoſitionem Theologorum noſtrorum in Eccleſiâ orthodoxâ receptam peſſum dediſſet noſter Dn. Examinator. Quamdiu enim alterutra ſententia pleno radiat orbe, quis cum tenebris tenebrionum Judæorum manum conſereret? Sed propter Goliathiſmum Domini Examinatoris, qui ante pugnam ſibi victoriam pollicetur idque tribus cuniculis hiſce: primo mea pervertendo, ſecundo, mihi affingendo ſua, tertiò, Ironiâ crebriuſculâ ac thraſonico verborũ tumultu, id attica brevitate operã nunc dabo, ut quilibet eruditus ac pius videat, quod Dominus Examinator ventũ hic ſeverit, ac tempeſtates, conſcientiam ſuam aliquando concuſſuras, in abitu ad meliores ſit meſſurus, quod ultimum, ut DEUS averruncet, calidis votis precor, quippe qui extra hanc controverſiam verum amo, ſed ſcorias ejus Rabbinicas ac Jeſuiticas odi, cum illa vehementia, quâ laborat tanquam hecticâ, quod veritas jubet divina, quam prodere, grande erit capital. Jam ad examen, oppoſitum argumento meo ſecundo me accingam, idque nervosè ac breviter

contra conciones Bucholzinas ſatis prolixas, quibus veritatem fruſtrà conatur premere, defendam.

Lector benevolus legat ſupra argumentum meum ſecundum.

Inveniet (1.) unum comma, unum colon loco ſuo motum ſæpè ſenſum contrarium inferre. Iſtud oſtendo tribus exemplis,

Regem occidere nolite, timere vos decet. Hæc diſtinctio Regem occidi vetat.

Regem occidere, nolite timere, vos decet. Hæc diſtinctio Regem occidi jubet;

Judæi biblicam diſtinctioně per Athnach negligentes, locum Geneſ. cap. XLIX. v. 9. ita explicant: ſceptrum non auferetur de Jehudâ in æternum, quia veniet Siloh, quaſi ſceptrum, quod ablatum eſt, ſit rediturum cum Meſſia. Meſſias autem venturus ſit, neſcio quando. Sic Bucholzius negligit diſtinctionem Biblicam, & celeberrimum Regem Athnach diſtinguentem, & primum membrum ſententiæ oſtendentem ac determinantem per colon (:) in textu noſtro controverſo Levit. cap. XVIII. verſ. 18. & quidem authentico, qui ſolus norma eſt, in decidendis controverſiis, quod nulla ex ſe præſtat verſio. Omnia autem Biblia hebræa ſic diſtinguunt. Et mulierem ad ſororem ejus non accipito: Athnach: Hinc ſenſus: Nullus ſororius uxoris ſuæ ſororem ducat. Bucholzius autem ſic diſtinguit: Et mulierem ad ſororem ejus non accipito ad affligendum: Athnach: Et ſic voces ad affligendum revocat ad primum membrum ſententiæ, ſive prohibitionis divinæ, idque apertè contra diſtinctionem biblicam, & naturam Regis Athnach, qui ſemper, ſemper dico, in univerſis Bibliis Ebræis, oratione proſa ſcriptis, in quolibet verſu bimembri, poſt prius membrum ponitur. Hinc ſenſus emergit falſiſſimus, ac Judaizans: Et mulierem ad ſororem ejus non accipito ad affligendum: colon Athnach. Sed quod in nullis Bibliis heberinis eo extat loco, quod nullus mortalium ibi vidit, aut viſurus eſt. Hinc porrò pullulat Rabbinica & Jeſuitica collectio; ſed mortua uxor affligi nequit. Ergò poſt mortem uxoris altera ſoror duci poteſt; quia ceſſante cauſâ (afflictione, vexatione) ceſſat effectum, ſcilicet, divina prohibitio. Magis audax eſt D. Bucholz; fingit enim hanc prohibitionem, & mulierem ad ſororem ejus ne accipito in vitâ ejus; & ſic ultima verba verſiculi in fine abſcindit, & in verſiculi medium locat. Legatur textus, & oculi erunt teſtes. Hinc dilucidè demonſtravi, quòd hic ſenſus Judaizans, abſque turbatione diſtinctionis biblicæ, & audaci tranſpoſitione verborum ſtare nequeat. Hæc mea ſunt. Videamus nunc examen Domini Bucholzii. Diſtinctionis mutationem ſæpè ſenſum

contrarium patere oſtendi. Sed hæc omnia ſepelit Dominus Examinator qui incipit n.2. mihique in limine affingit, quaſi ſtatuam, verba ad laceſſendum, non pertinere ad prohibitionem, ut reſtringentia, ſed tantum ut exaggerantia propter Athnach.

RESPONDEO.

Nemo hoc inveniet in Reſponſo Moſis, ſive conſideratione meâ. Interim certum eſt, quod verba, ad laceſſendum, non pertineant ad primum membrum periodi, quod complectitur prohibitionem, hoc oſtendit Athnach in Hebræo, & Colon (:) in omnibus ſententiis teſte Grammaticâ. Quis puer ita loquitur: Hic eſt Colon. Ergò verba ſequentia non pertinent ad periodum. Apage! Verba ad laceſſendum, & quæ ſequuntur, pertinent ad periodum, ſive verſiculum 18. ſed non pertinent ad primum verſiculi hujus membrum, quod prohibitionem complectitur hoc eſt quod adſerui. Hæc erant diſtingvenda, non autem confundenda, ſi Dn. Cenſor candide vellet diſputare. Videatur num.4. ſequens.

NUM. III.

Prohibitionem hanc: Sororem uxoris tuæ non accipies, nullibi inquit extare in ſcriptura.

Reſpondeo.

Extat illa prohibitio, Levit. Cap. XVIII. v.16 ubi prohibitâ fratriâ, propter eandem propinquitatem, ſimul prohibetur uxoris ſoror; quod ſupra accuratè probavi argumento meo primo. Et quando vox ſoror Levit. cap. XVIII. vers.18. propriè accipitur, tunc eadem prohibitio extat quoque Levit cap. XVIII. v.18. *Et mulierem ad uxorem ejus non accipies*; Pauſa! Colon. Qui accipit uxoris ſororem, ſive vivente ſive defunctâ uxore, ille accipit ſororem ad ſororem. Alteram enim habuit, & alteram ducit. Utraque eſt manetque ſoror; mors enim propinquitatem non tollit. Ergò & hoc falſum eſt, nullibi extare in ſcripturâ prohibitionem, quâ defunctæ uxoris ſoror prohibetur. Quia ſimpliciter illa prohibetur v,16. v.18. in primo membro verſiculi oculi, ſint arbitri. Addo tamen, ſi v.15. ageret de uxoris ſorore, quod Bucholzius nondum probavit.

NUM. IV.

Sequentia pro meis venditat: Ubi in hebræo eſt pauſa Athnach, ibi verba ſequentia non reſtringunt, ſed exaggerant tantùm præcedentia.

Reſpondeo.

Hæc Examinator mihi iterum peſſimè affingit, quæ nunquam mihi in mentem venerunt. Legat, qui vult Reſponſum meum Moſis à num. 7. ad num. 9. ne literam hâc de re ibi inveniet. Itane affingere decet ſacerdotem Juſtitiæ; Cœterum n. 10. allego D. Gerhardum. Et dico cum illo, verba ſequentia afflicturus es eam, eſſe exaggerantia, & pertinere ad rationem hujus prohibitionis ſecundariam in eò caſu, ſi quis exemplo Iacobi velit abuti, & ſimul duas ducere ſorores. Exaggerant enim malum domeſticum jurgia, ac lites orituras, de quibus ſupra egi ex Geneſ. cap. XXX. & I. Sam. cap. I. Præcedit prohibitio in primo membro: & mulierem ad ſororem ejus non accipies: Athnach, Colon: ſequitur prohibitionis ratio in altero membro: Afflicturus es eam, retegendo nuditatem ejus in vitâ ejus. Si duxeris alteram ſororem in vitâ ejus, ſcilicet prioris uxoris; tonitrua ac fulgura ſequentur domeſtica, qualia inter Channam erant & Penninnam; inter Rachelem & ſororem ejus. Hæc eſt ratio exaggerans, quam non parturit Athnach. Nam Athnach, colon, comma, diſtingunt, non exaggerant, ſed ipſa verba exaggerant, quæ hic extant. Tu m[illegible]te afflicturus es uxorem tuam, ſi duxeris alteram ſororem, ſi nudaveris eam uxore vivente, quæ altera affligens erit. Genuina autem ac principalis ratio hujus prohibitionis in verſ. 18. eſt illa in verſ. 6. capitis Levit. XVIII. Ne duc uxoris ſororem. Ratio eſt; quia ſoror uxoris tibi nimis eſt affinitate propinqua, ſicut fratria fratri, eſt caro carnis, juxta phraſin Moſis. Hæc igitur ſunt figmenta Examinatoris, ac ſi credam, Regem Athnach exaggerare, quem dico diſtinguere, & primum membrum verſiculi diſterminare ab altero. Verba ſequentia, in v. 18. loquuntur de malo ſecuturo, agunt de afflictione & gurgiis domeſticis. Exemplum pono. Nil commercii cum Cajo habeto: Eſt enim fur & peſſimus nebulo. Si Cajus eſt vir bonus, verba poſt colon habent vim injuriandi. Hanc vim habent per ſignificationem ſuam. Hoc facit vis & norma loquendi. At ſi quis diceret, verba iſta habent vim injuriandi propter colon, quæ enim colon ſequuntur verba, hæc vim injuriandi habent. Stulta illa ſunt & plumbei delirii. Dn. Cenſorem igitur amicè rogo, ne ſeipſum iis fictis eat perditum.

NUM. V.

Dicit Dominus Examinator, ſe ex Judæis & Chriſtianis quæſiviſſe. An hæc Major ſit vera, nimirum, ubi in textu Hæbræo eſt Athnach, ibi verba ſequentia non reſtringunt, ſed ex-

aggerant. Hos autem reſpondiſſe, falſiſſimum hoc eſſe. Athnach eſſe κῶλον, & diſtinguere ſententiam perfectam in ſuo membro, ſed alteri adhuc conjunctam.

Reſpondeo.

Athnach deſignare κῶλον, id verum eſt, & in Adſertione meâ inveniet Cenſor Colon majus aut minus, quando diſtinctionem ipſius Athnach exprimo. Non opus erat, hic conſulere Judæos & Chriſtianos, ſed Dominus Examinator ſcire hoc debuit ex Grammaticâ quâcunque latinâ. Vide Hypomnemata ad Grammaticam Philippi, noſtri Smidi pag 34. ubi colon dicitur μέση ςιγμὴ, media diſtinctio, poniturque quando ſtructura verborum perfecta eſt in ſuo membro. Quando vero dixerunt Judæi & Chriſtiani, quod major illa propóſitio, quæ allegatur in numeri hujus initio, ſit falſiſſima, profectò rectè dixerunt. ſed illa major citata non eſt mea, nemo illam inveniet in meâ Aſſertione Moſis, ſed eſt Dn. Examinatoris. qui illam cum falſitate ſua recipiat, ſervetque ſepulcro, ùt Poëta loquitur.

NUM. VI.

In fine allegat Buxtorffii theſaurum lib. 2. cap. 23. quòd Athnach ſæpè in effectu nihil diſtinguat, id quod doceat verſus primus in Geneſi cap 1.

בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ

Bereichit Bara Elohim: pauſa, Athnach! Eth haſchamajim, veeth haarez.

In principio creavit Deus: pauſa, Athnach, illos cœlos & hanc terram.

Reſpondeo.

Buxtorffius, vir magnus fuit, & in orientalibus exercitatisſimus. Et hic locus citatus ex theſauro ejus, mihi ante annos triginta quinque, & quod excedit, notiſſimus fuit. Sed mi Domine Bucholzi

- - - non omnia grandior ætas
Nos quæ ſcimus habet, ſeris venit uſus ab annis.

Indolem Regum & miniſtrorum, quoad conſecutionem & diſtinctionem in libris biblicis proſaicis ac metricis, per DEI gratiam penitiùs nunc intelligimus, quàm eo tempore quo Buxtorffius & alii in vivis erant, quod Tibi oſtendent ſcripta Excellentiſſimi viri Dn. Auguſti Varenii, Profeſſoris Theologi in illuſtri Varniana celeberrimi, ac Philologi anatolici inſignis

ſignis, amici mei honoratiſſimi. Si tu illa legeres & caperes, aliter diceres. Intrepidè aſſero, in citato verſu primo primi capitis Geneſeos, Regem Athnach diſtinguere. Nullus enim eſt in libris Biblicis proſaicis verſus bimembris, qui non habeat Athnach & Silluk: Athnach autem eſt perpetuus diſterminator primi membri, quod vel mille exemplis patebit. Athnach inter omnes Reges ſecundus eſt in ordine, quem nemo antecedit, niſi Silluk. Quis Reſpondet mihi ex Buxtorffio, cur in multis libris proſaicis duplex reperiatur Athnach? In quibus locis tantum Karneparah reperiatur, & nullibi in univerſis Bibliis extra illa? Ubinam reperiatur Sakep-gadol, ſakeph-Katon, Segolta in metricis libris? Cuncta quoque ex Geneſi verba primi verſiculi, ex mente noſtrorum Theologorum, myſterium redolent, quod Dominus Buxtorffius ægrè admittit. Non autem hîc ſequimur Buxtorffium, ſed noſtros Theologôs, propter rationes ſolidiſſimas, quas ſi Cenſor penſi haberet, ſtatim videret, Athnach hoc loco diſtinguere. Legat, ſi lubet Theognoſiam meam Moſaicam Propheticam, Rabbinicam, & videbit quid velim. Quod Athnach diſtinguat in primo libro, capite ac verſiculo, Moſis ſive Gen. c. I. v. 1. propterea mirum forſan videtur Dn. Cenſori, quod verſus ille parvus ſit, & quatuor tantum voces poſt Athnach ſequantur. Sed est viſum in eodem capite verſ. 3 qui brevior eſt & pauciorum vocum: ויאמר אלֹהים יהי אור ויהי אור Et dixit Deus, fiat lux: Athnach! & fuit lux. In hebræo totus verſiculus conſtat ſex vocibus Et poſt Athnach, duæ tantum ſequuntur. Interim tamen Athnach hic diſtinguit & hic verſiculus bimembris eſt.

NUM. VII.

Hic Labyrinthus eſt. Athnach, inquit, illam tantum virtutem habet, quæ jam deſcripta eſt. Puto n. 5. & 6. præcedente. Ubi dicit Dominus Examinator, ſibi reſponſum eſſe, quod Athnach diſtinguat ſententiam perfectam in ſuo membro, ſed alteri adhuc conjunctam. Ergò Athnach non habet vim, ut verba ad laceſſendum &c. jungantur ad verba præcedentia. Benevolus Lector perlegat omnia in Examine, tædet enim illa prolixa inania hic repetere.

RESPONDEO.

Adſerui cum Num. 5. & 6. Examinis, quod Atnach diſtinguat ſententiam in ſuo membro perfectam. Ergò hæc verba: Et mulierem ad ſororem ejus ne accipito; ubi Athnach ſeu colon ſive *μεση ςιγμὴ* ponitur, ſtatim

timhic diſtinguit. Ergò hic primũ ſententiæ membrũ, quod ponit prohibitionem, ſtatim à ſequentibus verbis membri alterius ſequentis diſcernit. Ergò verba ſequentia alterius membri, ſcilicet, afflicturus es eã, retegendo nuditatẽ ejus, in vitâ ejus, quæ inculcant rationẽ ſecundariam præcedentis prohibitionis, ſcilicet ſecuturas lites, jurgia, & mala domeſtica, nõ poſſunt propter hanc diſtinctionẽ verbis antecedentibus, vel antecedẽti membro jungi, ſive prohibitioni, eamq; vertere in reſtrictivã, quæ hic eſt abſoluta, uti Dominus Examinator hic ineptiſſimè colligit. Sed ad ſequens membrũ illa ablegantur. Interim omnia verba totius verſiculi ſive ſententiæ, pertinent ad unã periodum, ad unũ verſiculũ. Certè comma, eſt tantùm ſubdiſtinctio, ὑποστιγμὴ diſtinctio minima. Vide exemplũ: Divitiæ, decus, & gloria, in hominũ oculis ſita ſunt, Hæc ſentẽtia per cõmata rectè diſtincta eſt. Si jam dicerem, voces *in hominum* jungantur voci antecedẽnti, *gloria*, hoc modo, *gloria in hominum*, en ſtatim craſſè impingerem, & riderent me pueri. Diſtinguere enim eſt ſecernere. Ubi diſtinctio eſt, ibi verba, quæ ſequuntur diſtinctionem, non ad antecedentia, ſed ad conſequentia verba referuntur. Lege Levit. cap. XVIII. verſ. 8. Novercæ tuæ nuditatem ne retegito: Athnach, diſtinguens primum hoc membrum, quod eſt ipſa prohibitio: Sequitur poſt diſtinctionem alterum membrum, quod complectitur prohibitionis hujus rationem. Nuditas patris tui eſt. Nullum hujus membri alterius verbum, antecedenti membro jungi poteſt, alias diſtinguere, non eſſet diſtinguere. Miſeret me talis Examinis, quod puerorum pipulo vapulat.

NUM. IIX & IX.

Tria hic annoto (1) Athnach non ſemper diſtinguere, quod ex aliorum textuum inſpectione probari queat.

Reſpondeo.

Nunquam, & in nullo verſiculo bimembri hoc fit in univerſis Bibliis proſaicis. Ergò ne ſutor ultra crepidam. (2) Eſdram, vel alium, ait, characteres & interpunctiones adjeciſſe textui hebræo. Sed prius eſt falſum; poſſum enim ex duabus vocibus hebræis probare ſingulis momentis, quod litera aliqua noſtri Alphabeti hebraici, vivente adhuc Moſe, eandem habuerit figurã, quâ hodiè ſcribitur. Poſterius, nimirum interpunctiones, ab Eſdrâ adjectas eſſe, iſtud ipſis Bibliis hebræis intorquet arietem. Hem quid fiet de ſcriptura ſacra veteris teſtamenti! Senſus enim per aliam atque aliam interpunctionem maximè mutari poteſt, teſte experientia. Si igitur interpunctio ab Eſdrâ adjecta eſt, ſequitur quod ſenſus Scripturæ ab Eſdra, & ſic ab homine pendeat. Horreſco! Ubi

nunc authoritas Scripturæ? Ubi nunc fundamentum Prophetarum & apoſtolorum Epheſ.cap.II.verſ.20.? (3.) In principio creavit DEUS: cœlum & terram. Mirum videtur Dn. Examinatori, imò audaciam vocat, duo iſta verba, cœlum & terram ſeparare velle à prioribus, ſunt enim ſeptem tantum verba in lingua latina. In principio creavit DEUS cœlos & terram.

Reſpondeo.

Audax igitur fuit Moſes, qui Regem Athnach hic poſuit. Athnach autem diſtinguit. Si non diſtinguit, erravit Moſes, dum illum ponit. Nihil enim aliud didicit Athnach, quàm primum verſiculi membrum diſtinguere. Legat Examinator Theognoſiam meam antiquiſſimam, & inveniet, quòd iterum audax ſit Moſes in eodem verſiculo, dum verbum ſingulare, *creavit*, conſtruxit cum nomine plurali, *Elohim*, quod tamen ſuum habet ſingulare Creavit Dii, vel creavit tres perſonæ SS. Trinitatis. Perſonæ creavit. Quilibet in ſuá facultate, ſi pedem figit, prudenter agit. Icarus Icariis nomina fecit aquis!

NUM. XI. XII. XIII. XIV.

Citat ex Levit.cap.XVIII.verſiculos 9 11. 14. 19. Ibi reperiri Athnach regem, quem ait ibidem non diſtinguere,

Reſpondeo.

Peſſima inſcitia!

Exempla.

	Prohibitio	Ratio.
v. 8.	Nuditatem novercæ tuæ ne retegito: Athnach	Nuditas patris tui eſt.
v. 12.	Nuditatem amitæ tuæ ne retegito: Athnach	Propinquitas patris tui eſt.
v. 13.	Nuditatem materteræ tuæ ne retegito: Athnach:	Nam(כִּי)propinqua matris tuæ eſt
v. 16.	Nuditatem fratriæ tuæ ne retegito: Athnach.	Nuditas fratris tui eſt.
v. 18.	Et mulierem ad ſororem ne accipito: Athnach	Affliges eam, retegendo nuditatem ejus (ſororis) in vita ejus (uxoris)

Uno verbo. In verſiculis 9. 11. 14. 19 citatis ab examinatore, nullibi ponitur Athnach, qui non diſtinguat. Quod inductione probari poteſt. Dic ſodes, quid facit Athnach in hiſce verſiculis, ſi non diſtinguit? Si nihil agit,

 fruſtra

fruſtra ponitur, quod abſonum eſt. Si aliquid agit extra & præter diſtinctionis officium, quid illud eſt? Vel næniæ hic ſequentur, vel Pythagoricum ſilentium. Si de Muſicâ Hebræorum aliquid profertur, fabula eſt! Nullibi aſylum hujus erroris eſt, ne quidem propè ſanctiſſimi altaris cornua.

NUM. XV.

Hic incipiunt diſcurſus intorti, vagi, & tautologiâ ſuffarcinati. Nihil autem occurrit, quod ex iis, quæ jam reſpondi, non poſſit ſolidè refutari. Brevis igitur hic ero. Benevolus Lector ipſemet legat examen, ſi placet. De me ita diſſerit; At replicabit, ſe non dicere, quod Athnach prohibeat, quo minus verba ad laceſſendum ſint reſtringentia antecedentium, ſed tantum ſeparanda à præcedentibus. Rectè, inquit, amplector hanc, ſi ex adverſo dabitur, reſponſionem.

Reſpondeo.

Dominus Examinator dicit, quod replicare queam, miram mihi ſequelam tribui. Et hoc verum eſt, quod Dn. Examinator hic bene vaticinatur. Quod verba, ad lacesſendum, ſint reſtringentia verborum antecedentium; hoc quidem nego propter diſtinctionem, quæ per naturam ſuam, per colon, nō antecedentibus annectit, ſed ſequentia ab antecedentibus diſcernit. Dicit, ſe amplecti hanc meam replicationem, ſed ſi dabitur ex adverſo. Optime! Ubique enim & hic & in Adſertione meâ legit, quod ad alterum verſiculi membrum, ad rationem ſecundariam pertineant illa verba, *ad affligendum.* Si autem pauſa Athnach retracta fuiſſet ad ſequentem vocem Lizror, nata fuiſſet aliqua prohibitio reſtrictiva. Hoc modo: Mulierem ad ſororem ejus ne accipito ad laceſſendum. Athnach. Aliud enim eſt, Non accipito. Et aliud, Non accipito ad laceſſendum. Sed hæc pauſæ retractio non eſt in textu. Ergo nec reſtrictiva prohibitio. Sola autem pauſa limitationem non impedit. Sed (1.) Quia nulla reſtrictiva prohibitio, à v. 6. ad v. 18. legitur in Lev. c. XVIII. (2.) Reſtrictio parit hoc abſurdum: matrem, neptem, amitam, fratriam cum prole relictam &c. limitate prohiberi, non ſimpliciter & ſemper. Apage! (3). Arctior proximitas v. 6. nullam admittit limitationem, ſemper prohibet uxoris ſororem v. 18. ſi de ea ibi agitur, ut ſemper prohibet fratriam cum prole relictam v. 16. Quia eadem eſt proximitas, quæ per divinam conceſſionem non eſt mutata

tata, nec per reſtrictionem in v. 18. vel alibi. Duc uxoris ſororem poſt obitum uxoris. Nullibi hoc legitur, nec proximitas hoc admittit.

NUM. XVI.

Pergit & aſſerit, verba poſt Athnach non exaggerare.

Reſpondeo.

Tu afflicturus es uxorem tuam, nunquam tua erit ſine lite domus, in eo caſu, ſi duxeris alteram priore vivente. Nulla hora videbit halcyonia apud forum. Hæc verba, ſatis inculcant & exaggerant ſecutura mala. Vox לִצְרֹר lizror hoc facit, nativâ ſuâ ſignificatione. Tu affliges, laceſſes, in anguſtias rediges uxorem tuam. Vel loquuntur hæc verba de litibus, agunt de jurgiis, hoc volo, nec opus eſt voci exaggerare adglutinari. Nota, hic contemni D. Gerhardum, qui dum hic unus eſt, qui id mecum docuit, Bucholtzio nullus eſt. Quaſi verò non plures eſſent, qui cum textu idem hoc dicerent ac docerent.

NUM. IIX.

Quærit, cur verba ad laceſſendum, non potius pro ratione prohibendi ſint habenda.

Reſpondeo.

Ut ſe confundit Dn. Examinator noſter! Hoc vicies dixi, hoc inculco, nimirum, hæc verba, tu afflicturus es illam, ad rationem prohibitionis, ad alterum membrum verſiculi dico pertinere. Dum idem hic dicit, & tamen quærit cur hoc non fiat, ſibi maſculè contradicit, comprimis quando urget, hæc verba, ad affligendum, ad primum membrum verſiculi pertinere, ſive ad legem prohibentem quæ primum verſiculi membrum facit Male. Hic vult Cenſor, verba de laceſſendo pro ratione prohibendi eſſe habenda. Ergo pertinent ad alternm membrum. Contra Cenſor, vult illa verba referri ad primum membrum. Sed tunc non pertinebunt ad rationem prohibendi, ſed ad ipſam prohibitionem, quæ in primo membro legitur. Sed ille urget.

Et mulierem, ad uxorem ne accipito ad laceſſeudum.

Et ideò hoc urget Dn. Examinator, ut cum Judæis & Jeſuitis concludat. En! hæc verba ad laceſſendũ, pertinent ad prohibitionẽ ad primũ verſiculi membrũ. Ergo limitant, reſtringunt, diſponunt, & terminant ipſã prohibitionẽ in priore membro hoc ſenſu. Non duces uxoris ſororẽ, ſed, inquit, in continuo nexu additur ad laceſſendũ illã, ne divexetur ab altera ſuper inductâ. Hinc naſcitur ſtrepitus Dn. Examinatoris, in omnib⁹ ferè foliis hujus examinis. Verba ad laceſſendum, ſunt verba diſpoſitiva, limitativa, reſtrin-

ſtringentia, declarativa. Clarè mentem Dn. Examinatoris proponam: Verba ad lacceſſendum in primo membro verſiculi diſponunt, quando altera ſoror duci non debeat, ſcilicet, ne altera vivens hinc affligatur. Limitant ac peculiari additâ conditione reſtringunt prohibitionem. Non accipies ad laceſſendum. Naſcitur igitur prohibitio conditionalis & limitata. Nō licet ducere ad affligendum. Inde autem nunquam colligi poteſt, illimitata, ſimplex ac univerſalis prohibitio. Et mulierem ad ſororem ejus non accipito. Sed hoc colligitur, mortua uxore, altera ſoror non prohibetur, quia illa afflictio tunc non habet locum, mortüi enim non poſſunt affligi in thalamo. At verò totum hunc ſtrepitum Rabbinicum magno robore proſternit diſtinguens Athnach: Et mulierem ad ſororem ejus non accipito: Athnach: Hic primum verſiculi membrum eſt perfectum. Ratio de vexatione & afflictione poſtea ſequitur in altero membro, & â primo diſcernitur. Sic cadit totus diſcurſus, & lubrica ſequela Judaica, quæ tunc aliquam forte haberet ſpeciem, ſi Athnach ſub voce לצרר lizror (*ad laceſſendum*) reperiretur, quod nemo vidit in ullis Bibliis hebræis. Notari hoc peto, ne idem cogar decies repetere. Uno verbo: Examen Bucholzii, ubique hanc urget prohibitionem conditionalem: Et mulierem ad ſororem ejus non accipito ad laceſſendum: Athnach, Colon, Pauſa. Hanc autem mihi oſtendat in originali textu, quod per rogo amanter, & ſtatim ſepulta erit noſtra diſputatio. At non poteſt, etiamſi aliqua nitri eſſentiâ Hermeticè præparata ſe rumperet Dn. Examinator. Hic nodus, hic Rhodus! ſolvat, ſi poteſt, quod hic ſequitur. Et mulierem unam ad alteram non accipito Athnach. Hæc eſt prohibitio, qua prohibetur polygamia. Hæc prohibitio univerſaliter prohibet, ſimpliciter prohibet, ſemper prohibet. Quis enim ſomniaret polygamiam reſtrictive, limitative tantùm prohiberi. Qui legit conjugii inſtitutionem Gen. c. II. v. 24. qua uni viro una tantùm jungitur fæmina. Et Malach. cap. II. v. 14. 15 polygamus perfide agit, Deus unum par fecit, non vult plures uxores in uno ferre conjugio. Læditur ita fœdus connubiale & uxor federata. Poſt Athnach ſequitur prohibitionis ratio à jurgiis domeſticis deprompta. Prohibitio ante Athnach, hic non eſt ratio: nec Ratio poſt Athnach, eſt prohibitio, Quod textus docebit, qui ſatis perſpicuus eſt. Nullum hic jota de proximitate, Ergo nec de uxoris ſororre & ſororio, quæ voces ſine proximitate ne quidem fingi poſſunt. Nulla hic eſt prohibitio conditionalis aut reſtrictiva, quia polygamia hoc non admittit, quæ diruit, & pervertit Dei ordinationem.

NUM. XXIII.

Levit. cap. XVIII. v. 18. dicit hoc prohiberi, Non duces uxorem

rem

rem ad ſororē hoc idē eſſe, ac ſi diceretur nō duas ſorores, ſimul duces (Amanuenſis forte erravit) ſororem ad ſororem ducere, idem eſſe forſan voluit, ac duas ſimul ſorores ducere. Potuiſſet enim aliquis uxorem aliquam ducere, quæ prioris ſoror non erat. Et ſic non duas ſimul ſorores duxiſſet, quamvis duas uxores duxiſſet. Pergit. Hæc Enunciatio: non duces uxoris ſororem, latior eſt; quippe quæ ſororem prohibet, ſive vivat, ſive mortua ſit uxor. Sororem ad ſororem ducere, anguſtiorem eſſe, quippe quæ de vivente uxore intelligi tantùm poſſit.

Reſpondeo.

Prior Enunciatio poteſt intelligi de uxore vivente, ſed etiam intelligi poteſt de uxore mortua. Nam in utroque caſu ſororius ducit ſororem adſororē. Pono! duas eſſe ſorores Annam & Catharinam. Petrus ducit Annam, poſtquam illa naturæ conceſſit, ducit alteram ſororem Catharinam. Annam habuit, Catharinam poſtea ducit. Ergò duas duxit ſorores. Et ſic alteram ad alteram, licet non ſimul eas duxerit. Sed cui bono de hoc diſputatur. Nam ſicut omnis fratria fratri ſimpliciter prohibetur. Levit. cap XVIII. v. 16. ſic omnis ſoror ob eandem propinquitatem ſororio ſimpliciter prohibita eſt, quod evici argumento primo. Et in verſ. 18. quādiu vox ſoror in proprio accipitur ſignificatu, tamdiu ſimpliciter prohibetur, ne ſoror altera ad ſororem ducatur, nec ſimul, nec ſucceſſivè, propter arctiorem affinitatem, quæ eſt inter ſororium, & uxoris defunctæ ſororem, quæ in vitâ & morte uxoris eadem eſt, & ſic ſimpliciter prohibet, tam in vita, quam poſt obitum uxoris. Sed quid? polygamia hoc verſu prohibetur.

Num. XXIV.

Concedit Cenſor, hanc enunciationem mulierem ad ſororem ejus non accipito; eſſe enunciationem univerſalem negantem. Inops, ait, mentis ſit, qui hoc negaverit.

Reſpondeo.

Et hoc eſt, quod in Adſertione mea tanta diligentia inculcavi. Et hinc concludo. Ergo, nullus ſororius ducet uxoris ſororem. quæ ſimpliciter & univerſaliter ipſi eſt prohibita, ſicut etiam vers. 16. Nullus frater in caſu extantis ſobolis, fratriam ducet. Ergo nullus ſororius uxoris ſuæ ſororem, propter eandem propinquitatem ducere poteſt.

NUM.

NUM. XXIIX.

Dicit: Verba ad laceſſendum de uxore vivente intelligi, nec aliter fieri poſſe.

Reſpondeo.

In eo caſu, quô uxor vivit, tantum affligi poteſt, hoc verum eſſe ſcio. Ergò idem adſerui, quod Adſertio mea teſtatur. Sed hinc non ſequitur per conſequentiam Thalmudicam ac Judaicam; quia uxor jam mortua laceſſi amplius nequit. Ergò ipſi ſororio ſoror altera poſt mortem uxoris conceſſa eſt in verſiculo 18. Quia hoc non permittit verſ. 16. in capite citato, nec noſter verſiculus 18. quod toties probavi. Ne quis accedat ad proximam carnis, ſive ad nimis propinquam. Sed uxoris ſoror ſororio nimis eſt propinqua, quam propinquitatem, uxoris vita nec alit, nec mors ejuſdem tollit. Ergo poſt mortem uxoris, ſororio alteram ſororem, æque prohibet, ac in vita uxoris. Afflictio ceſſat quidem cum obitu uxoris. Sed principalis cauſa prohibitionis, ſcilicet propinquitas, non ceſſat poſt uxoris mortem. Ergo non ceſſat prohibitio poſt mortē. Quæ ſequuntur num. 29. 30, ad 51. odioſam repetitionem priorum ſiſtunt, de exaggerante ratione, de Athnach, de prohibitione; Nemo ducet uxoris ſororem, quæ non ſit Biblica. At verò Biblicum eſt, Nullus homo accedat ad nimis propinquam. Altera autem ſoror ſororio eſt nimis propinqua. Prohibetur fratri fratria v. 16. Ergò ſororio altera ſoror, propter eandem propinquitatem, quod oſtendi argumento meo primo. Porrò affirmat hanc prohibitionem; non duces uxoris ſororem in vita ejus non eſſe monſtroſam. Sed tantum hoc affirmat ſine probatione. Quidni monſtroſa! Rumpit enim textûs cohærentiam, & ultima verſiculi 18. verba, è fine abſcindit, & in locum medioximum verſiculi reponit. Particulam nimirum membri poſterioris ultimam, adſuit membro priori, contra diſtinctionis naturam, contra Grammaticam, ſive illa ſit Latina, ſive Javanica, ſive Heberina, contra colon, contra Athnach quod oculi legentium ſentiunt, dum legunt originalem textum. Uno verbo. Verſiculus 18. polygamiam prohibet, quod probatum eſt: Ergo cadit ſoror propriè dicta. Cadit reſtrictiva prohibitio, Nullum hic de proximitate veſtigium eſt in hoc verſu, ſicut in cæteris omnibus præcedentibus â v. 6. ad v. 17. Caduntigitur ſororius & ſoror uxoris, & omnes Cenſoris inſtantiæ, quod peto penſi ut habeatur in ſequentibus. Non enim ſemper id repetere licebit.

NUM. LI.

Examen iterum aſſerit, me formare talem objectionem

. Conceſſæ

Conceſſæ ſunt Jacobo duæ Sorores. Ergò prohiberi non debebant iſtæ nuptiæ.

Reſpondeo.

Hoc planè mihi affingi doleo. Legatur Adſertio ſive conſideratio mea ſupra num II. Inibi dico, exemplum Jacobi ab impio Judæo objici potuiſſe. Huic conceſſæ ſunt duæ ſorores, nec quicquam deſiderari potuit in illo matrimonio. Quod ergò conceſſum olim eſt Jacobo, hoc etiam mihi permiſſum erit. Ne autem illa inſtantia locum inveniat. Hinc Levit. cap. XVIII. v. 18. rationem ſecundariam dico additam eſſe. Gave. Tu affliges, uxorem tuam, ſi abuteris exemplo Jacobi, & ſimul duas ducis ſorores. Perpetuæ ibi lites erunt, & fulgura domeſtica adurent radicale humidum. Geneſ. cap. XXX, id quod te terrebit. Interim principalis ratio prohibitionis verſ. 6. non abiit in exſilium. Nemo homo accedat ad proximam carnis. Oculus docebit, mea pro more hìc depravari, quod vel puer obſervabit.

NUM. LVI.

Dicit Examen me movere objectionem ita in formam ponendam:

Ubi legitur: Et mulierem ad ſororem ejus non adſumito:

ibi reſtringitur prohibitio ad ſolum caſum uxoris viventis.

Arqui in noſtro textu verſ. 18. leguntur hæc verba:

Ergò,

Reſpondeo.

Hic repetere cogor querelam meam, videlicet doloſè ac ſophiſticè mea iterum perverti. Dico in aſſertione mea num. 8. diſtare à ſe invicem has propoſitinnes,

Nemo ducat uxoris ſuæ ſororem:

Et

Nemo ducat uxoris ſuæ ſororem ad laceſſendum:

Nemo ducat uxoris ſuæ ſororem in vita ejus.

Primam voco Biblicam. Secundam falſam, quæ nata eſt ex falſa diſtinctione, quæ veram diſtinctionem in Bibliis hebræiis impiè mutat in aliam, & ſic mutata diſtinctione Moſaica mutat ſenſum & mentem Moſis ac Spiritus ſancti. Tertiã monſtroſam voco, quæ verba Spir. S. planè perturbat & pervertit. Deinde n. 2. Adſertionis meæ dico, ſi quis opponat, hãc prohibitionem: Et mulierem ad uxorem ejus non accipito: Pauſa? reſtringi tantum

tum ad illum caſum, quò duæ ſorores ſimul ſint unius viri uxores. Dico me hoc negare, quia prohibitio dicit; Et mulierem ad ſororem ejus non accipito. Pauſa. Non autem limitationem addit; non accipies eam ſororem; tantum ad laceſſendum uxorem tuam. Non accipies eam in vita uxoris tuæ. Et hæc immota ſunt. Dn. Examinator præſtet ſe virũ, & oſtendat mihi in textu orriginali, ſupra allegatam, & à ſe confictam tàm ſecundam, quàm tertiam prohibitionem in tali formâ, in tali diſtinctione Biblicâ, in tali limitatione ac reſtrictione. Nunquam oſtendet, quamdiu biblica diſtinctio, manet diſtinctio. Quod attinet ſyllogiſmum, de quô loquitur, videt quilibet, quod ſyllogiſmum nullum ibidem formaverim. Interim, ſi ad ſyllogiſmum ſuum, non autem meum reſponderi à me vult Dn. Examinator

Reſpondeo.

Majorem ejus eſſe falſam & confictam. Prohibitio enim biblica ſororio ſimpliciter prohibet uxoris ſororem; in nullo autem caſu hoc matrimonium concedit. Reſpectus ille ad vitam uxoris, de quô Examinator agit, fabula eſt, gloſſa eſt, & conſequentia Judaici cerebri. Cadit ergò Ironia, quòd non ad majorem, nec ad minorem reſponderim; cum nec major illa nec minor extet in Adſertione meâ; cum neutram viderim, niſi nunc, quando has in Examine hic, lego nebuloſas illationes. Rogo locum legi in Adſert. mea num. II. ut veritas magis eluceat. Hæc juxta ſententiam primam orthodoxam. At juxta alteram ſequitur brevis reſponſio. Verſu 18. de polygamia agitur, non de proximitate inter perſonas, & ſic neque de ſororis, neque de uxoris ſorore. Vaneſcit igitur tota Cenſoris textura.

NUM. LIX.

Recurrit tautologia: Qui habuit ſororem in conjugio & poſt ejus obitum alteram ſororem ducit, is ducit ſororem ad ſororem. Hanc Majorem fallere. Veram hanc eſſe in tempore præſente, non in præterito.

Reſpondeo.

Suaves ineptiæ! Ergò in tempore præſenti, dum utraque ſoror vivit, altera alterius ſoror eſt, non autem poſt mortem alterius. Iſaac vivente Abrahamo erat filius Abrahami in tempore præſenti, quando uterque vivebat, at poſtea, Abrahamo mortuo, Iſaac forſan non erat filius ejus. Abſona! Sororius nudavit priorem ſororem in tempore præterito; ſed illa nudatio non peperit propinquitatem, quæ tantum durat in tempore præſenti, deinde autem avolat cum umbris, nihilque amplius agit nec ſororio prohibet uxoris ſororem poſt ejus mortem. Næniæ! In utroque tempore, præſenti

& præ-

& præterito,& nunc & ante centum annos ſimpliciter prohibetur ſororio altera ſoror. Et ſi eam duxerit,in utroque caſu ſororem ejus ducit,cujus ſororem habuit. Nam quæ uxor antè erat, illa ſoror erat ducendæ ſororis, ducta erat ſoror antea ductæ ſororis. Et ſic ſoror una ducitur ad alteram; non tantum,quando quis ſimul duas ducit, ſed etiam quando alteram, ducit poſt mortem alterius. Inſipidum tandem eſt, quod dicit Examen ſororem alteram ſimpliciter prohibitam eſſe, nullibi in ſcriptura extare,ſeu implicitè ſeu explicitè. Verum,hic error tam craſſus eſt ut nullus hodiernè Theologus,nulla Academia orthodoxa eum ferat. Quod tàm Levit.cap.XVIII.verſiculus 16.quam verſiculus 18. dudum dederunt demonſtratum. Et mulierem ad ſororem ejus non accipito, Hoc extat ſimpliciter v.18. Non duces patriam Ergo nec uxoris ſororem v.16. Repeto alteram ſententiam orthodoxam prohiberi v.18. ne quis mulierem unam ad alteram ducat. De uxoris ſorore nihil hoc verſu.

NUM. IX.

Syllogiſmum meum ex Adſertione vel conſideratione mea num.11.examinat, ejusque Minorem negat,quæ talis erat: DEUS Levit.cap.XVIII.v.18.ſororio,uxoris ſororem univerſaliter & ſimpliciter prohibet. Et mulierem ad ſororem ejus non accipito: Pauſa|Athnach. Fateri tamen cogitur Num.62. quod hæc prohibitio ſit univerſalis in forma. Interim non pertinere ad omnem ſororem. Feſtive! Nullus homo occidet. Hæc prohibitio formá univerſalis eſt; attamen non pèrtinet ad omnem hominem. Ergò ſunt quidam, quibus occidere licet,etiam per legem hanc univerſalem prohibentem Abſona! Deliria!

Quæ ſequuntur à num.63. ad num. 74. cum nauſeâ repetunt præcedentia,quod vel puer obſervabit. Niſi quod n. 68. aſſerit,verba exaggerantia malum domeſticum,eſſe non ens,quàndo uxor vivere deſiit. Quaſi hoc legere non potuiſſet.Dn.Examinator in Adſertione meâ num.10. Lites & jurgia in illo caſu,ſi ſoror vivente altera ſorore ducitur,oritura,Hæc juxta primam ſententiam orthodoxam reſpondeo. Juxta alteram, quæ idiotiſmum ſanctæ linguæ ſequitur, & polygamiam v.18.prohiberi probat,fruſtra hic objicit & diſputat Dn.Cenſor de uxoris ſorore,quæ in v.18. eſt non Ens,de qua eo verſu planè non agitur. Nullam ibi de proximitate verbum repetitur. Sed quia Dn.Examinator mea ita contundit,neſcio In quo mortario,ſophiſtico,ut vix ulla integra remaneat ſententia,ex quâ le-

ctor mentem meam noſſe queat & quia pro lubitu multa int- cta relinquit quid mirum quòd mea non videat, quæ non vult videre & ab aliis videri. Candidè egi in Adſertione meâ, & ſemper repetivi integram orationem Domini Examinatoris, cur hunc candorem non imitatur, idque ſecundum jura & æquitatem? Quia ſic illico cauſa caderet. nec latere poſſet.

NUM. LXXII.

Deinde dicit, ſecutum ſe fuiſſe verſiones Pagnini & Lutheri.

Reſpondeo.

Nec de verſione, nec ex verſione diſputo, ſed de diſtinctione Biblicâ, quæ in originali textu extat, & de genuino ſenſu verſiculi. Quoties autem de ſenſu alicujus textus diſceptatur, illicò ad fontes itur, qui immediatè ex revelatione divinâ ſcaturiunt, quod nemo hactenus de verſione dicere auſus eſt. Sunt igitur aliena à ſcopo, quæ Dn. Examinator hic promit.

NUM. LXXIV.

Judicare de eo jubet, Anne liceat JCto Theologorum argumenta adducere, & propugnare in matrimonialibus?

Reſpondeo.

Nemo ſanæ mentis hoc negat. Sed hoc eſt quod quæritur, anne liceat Iuris-Conſulto in matrimonialibus, Judæorum, Thalmudiſtarum ac Jeſuitarum phantaſmata, & obſoleta argumenta, quibus non pauci, ſuperiori ſeculo decepti ſunt, refodere, omnibusque Theologis in omnibus Germaniæ Academiis abſque fundamento contradicere? Hoc non eſt veritatem defendere, ſed gloſſas Judaicas poſtliminio quaſi in vitam reducere, & Eccleſiam DEI iſtis larvis perturbare. Videt igitur Dn. Examinator, ut vagetur extra oleas, & ſe abdat in vepretis, quod non eſt boni diſputatoris, qui Solem & auram ferre didicit, nec ullis circuitionibus delectatur, ſed unicè veritatem quærit abſque ullis lineis tortuoſis.

NUM. LXXV.

Hic ſe Examen accingit ad architecturam alicujus Syllogiſmi robuſti, quò ſuam ſententiam maſculè defendet, cujus Minor hæc eſt: DEUS Levit. cap. XVIII. v. 18. ita prohibet ſororio uxoris ſororem, ut non tantum expreſsè dicat, ne illam ducat ad ſororem, ſed etiam prohibitionem illam per ſpecialem rationem declaret, & ad terminos vitæ uxoris explicet & reſtringat. Ergò non generaliter & ſimpliciter illam duci prohibet.

Reſpon-

Reſpondeo.

Hactenus reſpondi vel vicies ad hanc Minorem, & adhuc reſpondeo, Dn. Examinatorem vicies principium hic petere. Illam enim ad vitam, ad laceſſendum reſtrictionem ab Examinatore toties poni, ſed nunquam probari conqueſtus ſum. Exponunt enim verba illa malum ſecuturum domeſticum, ſi quis hanc prohibitionem neglexerit, idque in eo caſu ſi duæ ſimul ſint in uno thalamo ſorores non autem limitant prohibitionem, à qua ſecernuntur per diſtinctionem notabilem. Senſus quoque & connexio verborum non ponunt reſtrictionem, ſed litium ac rixarum auroram. Moſaica prohibitio hæc eſt: Et mulierem ad uxorem ejus non accipito: Athnach, pauſa Hanc prohibitionem in formâ univerſalem eſſe, ipſe Dn. Examinator ſupra fateri coactus eſt. Si hoc. Ergò univerſaliter prohibet ac ſimpliciter, quemadmodum fundamentum omnium prohibitionum in cap. XVIII. v. 6. Levitici idem docet, ne ullus homo accedat ad nimis propinquam. Uxoris autem ſororem ſororio nimis propinquam eſſe, ſupra argumento meo primo, & alibi ex ſcripturâ accuratè probavi. Sed Dn. Examinator ſuam prohibitionem reſtrictivam ad vitam uxoris, aut ad ejus divexationem directam, & ſic particularem mihi ex Moſe oſtendat, in quâ verba *ad lacèſſendum*, & illa verba *in vita ejus*, per diſtinctionem biblicam, ad prius membrum verſiculi decimi octavi bimembris & ſic ad ipſam prohibitionem referantur, hoc modo:

Et mulierem ad ſororem ejus non accipito ad laceſſendum: Athnach, Pauſa, Colon.

Vel:

Et mulierem ad ſororem ejus non accipito in vita ejus. Athnach, Pauſa, Colon.

Hoc urgeo in Adſertione mea, & adhuc urgeo. Nam alius eſt ſenſus primi membri verſiculi, quod prohibitionem totam complectitur, quando Pauſa diſtinguens voci non accipito ſubjicitur, quod fit in omnibus Bibliis Ebræis. Sic uxoris ſoror ſororio ſimpliciter & univerſaliter prohibetur. Longè autem alius eſſet ſenſus, quando Pauſa diſtinguens, ſive Athnach, ſubjiceretur voci *ad laceſſendum* quo fruſtra tendit Dn. Examinator, qui in nullis Bibliis hebræis hoc vidit, & nunquam viſurus eſt. Cujus ſenſus erit. Hac conditione non duces uxoris ſororem, ſi affligi poterit, uxor ſi vixerit. Pono, verba ad affligendum, reſtringere prohibitionem ad vitam uxoris, non tamen ſequeretur, quod hic colligit Dn. Cenſor. Ergo non univerſaliter & ſimpliciter prohibetur ſororis uxor. Afflictio hoc non

facit, Ergo propinquitas inter ſororium & uxoris ſororem hoc etiam non facit. Quod falſum eſt; ex v. 16. & ex v. 6 Ergò nova illa interpunctio limitans ac reſtringens prohibitionem, tantum ad vexationem & vitam uxoris erit & manebit ſpuma deſipientis cerebri humani. Quod attinet illam prohibitionem. Non accipito uxoris ſororem in vita ejus, hanc dixi monſtroſam eſſe, & à Lemuribus perturbatam. Notent, qui volunt, ordinem verborum in textu, quem ipſe Dominus Examinator, examinis ſui frontiſpicio inſcripſit, perlegere. Quis quæſo hic non videt, textum Moſaicum, textum Spiritûs ſancti planè turbari? Poſt vocem accipito, ſequuntur octo voces: Ad laceſſendum, ad revelandum nuditatem in vitâ ejus. Has omnes audaci temeritate retrò trudit & cogit noſter Cenſor, ut ultima verſiculi verba; in vitâ ejus, in fine abſciſſa locum in mediâ ſententia per violentam poſſeſſionem indipiſcantur. Quod Spiritus ſanctus in fine legi voluit, id Dn. Bucholzius non vult in fine legi. Quod ſpiritus ſanctus in meditullio ſententiæ noluit ſtare, hoc Dn. Bucholzius in medioxumo ſtare jubet. En plura! Ubi Spiritus ſanctus poſt vocem accipito, vel accipies, ponit Athnach, ſive Colon; ibi Dn. Bucholzius ponit comma; cum Athnach nunquam ſit comma, ſed ſemper ſit diſterminator primi membri, Et ſic poſt Sillak accentus regius maximus, & neceſſariò colon: idque in omnibus libris proſaicis per univerſa Biblica, quod Dominus Examinator neſcire videtur. Addo, quod nullus homo ſub aut ſupra vocem accipito, in noſtro verſiculo, in nullis hebræinis Bibliis, ullum accentum diſtrictivum minorem, qui tantum ut comma diſtinguat, ſuis oculis unquam viderit. Obſervet hoc Dominus Examinator, quando ironicè de rege diſtinguente, Athnach aliquoties loquitur, illud Salvatoris Matth. cap. V. vers. 18. *donec prætereat cœlum & terra, Iota unum* (ἢ μία κεραία) *aut unus apex* (ne minimum quidem punctum) *præteribit ex lege &c.* Et ſanè Deus noſter huc usque à tempore Moſis, authenticum legis & Prophetarum textum ita conſervavit, ut nullus Athnach exciderit, aut loco ſuo motus fuerit, quem etiam in noſtro textu Dominus Examinator, velit, nolit, ſinet perdurare ac diurnare. Ni ſcandalum aut ludibrium metuerem viridiorum annorum, oſtenderem Domino Examinatori artificium, quo ſolâ mutatione diſtinctionis, & perturbata ſerie verborum, textuum quorundam biblicorum veteris teſtamenti ſenſum ſubminiſtrarem abſurdiſſimum ac ridiculum. Tantum valet diſtinctio! Quod ipſemet negare non audet n. 80, ſed negat ſe numer. 80. interpunctionem in dubium vocare. Quod tamen factum eſt in noſtro textu, quod quivis videt, qui non prorſus nihil videt. Nonne Ridet Athnach? Nonne perturbat ſeriem verborum? Et, quod ſatis evi-

tis evidens eſt, nunquam poteſt cum Judæis & Jeſuitis inferre hanc febriculoſam concluſionem. Ergò ſororio licet uxoris ſororem ducere, ſi uxor è vita exceſſit, tunc enim eam hoc altero matrimonio laceſſere & divexare non poteſt. Profectò nunquam ita colliget; niſi diſtinctionem biblicam perturbet, quod quidem ſtrenuè tentat Cenſor, ùt hoc obtineat. Tu non accipies ad laceſſendum, vult enim hæc verba præcedere accentum diſtinguentem, vult illa conjungere, vult illa pertinere ad primum verſiculi membrum, & ſic Athnach, antecedere, quod falſiſſimum eſſe, ſola textûs inſpectio docet. Sic Judæi quidam locum Geneſ. XLIX. non auferetur ſceptrum de Jehuda pervertunt, & malè explicant, quod ſolus accentus Athnach ſolidè oſtendit & refutat, nimirum, quod Patriarcha non dicat: non auferetur ſceptrum in æternum. Cauſa! quia veniet Siloh: ſic in hoc textu Levit. cap. XVIII. verſ. 18. idem rex diſtinguens, ſtatim gloſſam & argumentationem Judaicam ac Jeſuiticam, quam urget Dominus Bucholzius maſculè evertit & proſternit, ponitque prohibitionem univerſaliter ac ſimpliciter prohibentem, uxoris ſororem omni ſororio, omni tempore quod multoties jam evici. Non igitur eſt alienum à noſtra quæſtione, rectè diſtinguere textum verſ. 18. Addo alteram ſententiam orthodoxam. Et mulierem unam ad alteram non accipito: Athnach. Sequitur ratio prohibitionis, quia tuâ polygamia uxorem affliges, ſi alteram ſuper inductam, retexeris in vita ejus perfide ages, uxoremque tibi confederatam lædes juxta Malach. c. II. Hic manet Athnach diſtinguens inter prohibitionem, ejusque rationem. Et ne verbum auditur de propinquitate, quæ hic non eſt, nec de ſorore uxoris, nec de limitativa prohibitione, quaſi polygamia aliquando poſſit coronari. Abſit!

NUM. LXXVI.

Quæ ſequuntur usque ad num. 55. iterum apponunt cramben ſexies recoctam, & ea, quæ jam ante proſtrata jacent, videlicet, de uxoris ſorore, quæ ſororio non ſit nimis propinqua ex Levit. cap. XVIII. v. 6. quod uxoris ſoror ſororio non ſit prohibita, quando fratri ſuperſtiti fratria eſt prohibita verſ. 16. Et quaſi ſtatuam affinitatem ex ſanguine provenire, cum clarè dicam ex denudatione illam pullulare, quod ſtudioſi nôrunt.

Quando Judæum cæcutientem Rabbi Levi allegat, & judaizantem Vatablum, quos judaizans omninò ſequitur Dn. Examinator, quando Hottingerum ſummis extollit laudibus, ac ſi is mihi ignotus ſit; ſed addi Hottingerum vertiſſe hujus Rabbi ſcriptum ex lingua Rabbinica in latiam

lem, quod etiam fecit Buxtorffius, Junior; An verò, quod Hottingerus aut Buxtorffius, Judaicæ huic opinioni accedant, de hoc ne gry, ne ny. Doctores Chriſtiani multas fabulas Thalmudicas vertunt in linguam latinam, at non ideò eas approbant. Concludit igitur Dominus Examinator ſecundi mei argumenti examen gloſſa ſua Rabbinicâ, & ſic ipſemet comprobat, verum eſſe, quod ſcripſi in dedicatione, me maximè indoluiſſe, cum viderim Dd. Examinatorem haſce primulas veris Judaicis in hortos ſuos transplantâſſe: quod ſupra injuriam virulentam eſſe, Domini Cenſoris mordax adſerebat calamus, qui tamen iſtud atramentum temerè emiſſum, jam ſpontè reſorbet, & me ab omni injuriâ liberat. Fruſtra ſanè contra hoc argumentum diſputat Cenſor, qui ſuam prohibitionem reſtrictivam ac limitatam juxta hanc diſtinctionem biblicam, mihi oſtendere non potuit ex libris Moſis. Et mulierem ad ſororem ejus non accipito ad laceſſendum: Athnach, Pauſa, vel: Et mulierem ad ſororem ejus non accipito in vitâ ejus. Athnach, Pauſa. Interim ſtat Biblica ac Moſaica prohibitio ſimplex & univerſalis, quam defendo, quæ ſe commendat omnibus eruditis Philologis; Et mulierem ad ſororem ejus non accipito; Athnach, Pauſa.

ARGUMENTUM III.

1. Fuſiùs expoſui argumentum ſecundum, in quo cardinem totius diſputationis verti video, ut poſtea abſque remota progredi poſſim, & ad ſingula mihi objecta candidè & apertè reſpondere, ſine ceruſsa & melino. Nunc ad cœtera argumenta progrediar in quibus non ero Aſiaticus, ſed Atticus. Tertium igitur argumentum attigi in Gamologi. pag. 407. idque ad hanc faciem.

2. Si in toto decimo octavo Levitici capite tantum prohibitiones reperiuntur, malè ex illo elicitur conceſſio, & quidem tam grandis, qua uxoris ſoror in certo caſu duci queat à ſororio.

Atqui verum eſt prius; Ergo & poſterius. Major ſuâ luce radiat. Caput enim Levit. XVIII. quod ſemper prohibet, in quantum prohibet, nihil fieri jubet. Minor judicio oculorum ſe quàm libentiſſimè ſummittit, & præterea robur ex verſiculo citati capitis ſexto accipit ſatis robuſtum. Nam citatus hic verſiculus, in aciem reponit legem univerſaliter prohibentem. Nullus omninò homo ad proximum vel proximam carnis ſuæ accedat. Sub hâc lege prohibente generali, comprehenduntur omnes leges ſpeciales ſequentes, quæ ſanè omnes ſunt prohibentes, niſi quis aſſerere velit; in univerſali negante delitescere particularem aliquam affirmantem

mantem, in prohititione univerſali conceſſionem, in glacie ignem, quod abſurdum eſt. Quamobrem ſic colligo.

Proxima carnis, ſive nimis propinqua, non debet duci in uxorem. 3.
Levit. c XVIII. v. 6.

Atqui, ſoror uxoris defunctæ ſororio ſuo eſt proxima carnis ſive, nimis ei propinqua. Gen. c, II. v. 24. Gen. c. XXXVII. v. 27. Ergo!

Major, quemadmodum annotavi, eſt ipſe verſiculus ſextus, Lev. c. XVIII. & ſeverè prohibet, ne quis accedat, ut (כל שאר בשרו) ad ullas reliquias carnis ſuæ, ut vertit B Arias Montanus, vel ad carnem carnis, quemadmodum in textu hebræo legitur. Minor patet ex v. 16. ejusdem capitis. Ubi prohibetur fratria, idque ideo, ſicut verba leguntur, quia eſt nuditas fratris tui, id eſt, affinitate tibi nimis eſt propinqua, nimirum in primo æqualis lineæ gradu. Ergo eam non duces. Sic uxoris ſoror, ipſi ſororio eſt prohibita, in eodem verſiculo 16. per neceſſariam conſequentiam; quia etiam nimis ei eſt propinqua ſcilicet in eodem gradu primo; in eodem affinitatis genere, & ſic in eadem propinquitate. Ergo eam non ducet. Addo Gen. cap. 4.
11. v. 24. Et erunt duò in carnem unam. Et Gen. c. 37. v. 27. ubi frater de fratre Joſepho dicit: Joſephus eſt frater noſter, caro noſtra, & ſanguis. Pari etiam lege ſoror eſt ſororis caro & ſanguis. De quo infrà plenius. His addo, Vau copulativum, quod in textu noſtro, ſive Levit c. XVIII. v. 18. emphaticè oppugnat conceſſionem & confirmat prohibitionem. Sic enim incipit ille verſiculus 18. de quo diſputamus. Veiſcha (ואשה) & mulierem. Tremellius & Junius, excellentiſſimi Hebræi, rectè vertunt per item.
Hæc vox item, ſive hoc Vau copulativum connectuntur in hoc capite ver- 5.
ſiculi 17. 18. 19. 20. 21. quod in præcedentibus non reperies connectit verſum 17. & 18. verſiculus 17. prohibet, ne vitricus filiam ducat, nec uxoris ſuæ neptem Sequitur v. 18. cum ſuo Vau copulativo cum notabili ſuo item, quod iterum prohibet. Item nemo ducet uxoris ſuæ ſororem paula! Sequitur v. 19. novum item iterum prohibens. Nemo accedet ad mulierem in ſeparatione i... unditiei ſuæ. Adhuc ſequitur aliud prohibens item, verſu 20. Nemo concumbet cum uxore proximi ſui. &: Nullum Jota. nullus (Κεραία apex fruſtrà ponitur à Spiritu ſancto Matt. Capite 5. v. 18. Sic et- 6.
iam hoc loco non fruſtrà apponit Vau copulativum hisce verſiculis, ſed ideò ponitur, ut pura puta prohibitio eò clarius oſtendatur. Mercatores nôrunt, quod vox Item in catalogo acceptorum ſemper notet accepta, in catalogo expenſorum expenſa. Sic in prohibitis notat prohibita, in conceſſis conceſſa Quia autem in omnibus verſiculis iſtis 17. 19. 20. 21. prohibita reperiuntur, ut vox Item in fronte ſingulorum ſit prohibitionis index

detur

detur ratio, cui in verſ. 18. qui voce Item, cum cæteris connectitur, ejuſdem prohibitionis index cenſeri non debeat? Hanc nôſſe cupio.

Sequitur Examen.

NUM. I.

Tertium argumentum, inquit Dominus Cenſor, categoricè formatum ita ſonat: In quò capite tantum prohibitiones reperiuntur, ex illo malè elicitur conceſſio &c. Atqui, in Levit: cap. XVIII, tantum prohibitiones reperiuntur. Ergò ex illo Capite malè elicitur conceſſio.

Reſpondeo.

(1.) Hic aperiuntur novæ nundinæ ſyllogiſticæ, quamobrem viſum huc ibunt Logicorum filii, obſervaturi ſintne Athenienſes an Babylonicæ. (2) Syllogiſmus meus erat hypotheticus, quod quilibet ſupra videt, ſed Dn. Examinator mutat illum in Categoricum. Cum æquè ſyllogismus hypotheticus quâm Categoricus, in Logica ſibi dudum vendicaverit diverſorium. Malè igitur agit, dum mihi meum non relinquit in forma illa, quâ indutum illum vidit. (3) In eodem numero peſſimè fingit, quaſi Majorem hanc; In quo capite tantum prohibitiones reperiuntur, ex illo malè elicitur conceſſio, probaverim per proſyllogiſmum ſequentem. Qui prohibet, in quantum prohibet, nil fieri Jubet. Atqui Caput XVIII. Levit. ſemper prohibet. Ergò nil fieri, in quantum prohibet, Jubet. Hinc ſciſcitatur, ſatis ironicè num. 2. Itane probata eſt major Syllogiſmi? Et porrò, nôrunt Diſputatores, propoſitionem probandam, in ſyllogiſmo probante ingredi locum concluſionis. Quod hic non fit &c.

Reſpondeo.

Legatur argumentum meum tertium. Nemo inibi inveniet Proſyllogiſmum, quo majorem probavi. Doleo igitur, Bucholzium mihi tanta falſa affricare velle contra Ocularem demonſtrationem. Quod dicit propoſitionem probandam ingredi concluſionem, rectè dicit juxta Logicorum decreta. Quod autem in ſuo ſyllogiſmo hoc non obſervaverit, quem ipſemet ex ſuo cerebro hic architectatus eſt, veriſſimum eſt. Sed hoc grande vitium, & ſpiſſum errorem illi fabro tribuat, qui hunc Syllogiſmum ſtruxit. Faber autem eſt Dn. Bucholzius, non ego, quod quilibet in Adſertione mea, argumento tertio videt, & quilibet intelliget, qui ſenſu communi non eſt deſtitutus, ſunt verba Cenſoris. (4) Ego dicebam. Major ſuâ luce radiat, hoc negat Dominus Examinator numero 2. Perſpicuè agam,

gam. In quô capite tantum prohibitiones reperiuntur ex illo malè elicitur conceſſio. Sic Examinator formavit majorem. Adſertio autem mea ita majorem format. Si in toto capite Levit. XVIII. tantum prohibitiones reperiuntur, ex illo malè elicitur conceſſio. Et quidem tam grandis, quã ſororio in certo caſu duci cõcedatur uxoris ſoror. Majorẽ hãc ſuâ luce radiare rectè dico. quod malè negat Cenſor, En. radios Majoris; Impoſſibile eſt idẽ eſſe & nõ eſſe. Principiũ hoc eſt imotũ. Impoſſibile igitur eſt, id quod tantũ prohibet, in quantũ prohibet, cõcedere, Sic prohibẽs nõ eſſet prohibens, Mirus igitur diſputator eſt Dn. Bucholzius, qui Majorem hanc negat, qui Pro-ſyllogiſmum ideò fabricat, quo Major hæc, veritate ſuâ oculos perſtringens ac coruſcans tandem probetur. quæ per ſe ſatis eſt robuſta & nullis indiget cordialibus (5) Numero 2. dicit in fine, Majorem hanc eſſe ineptam. Monſtroſa hæc eſt adſertio? ſed hoc probabit hoc ſuo ſyliogiſmo num. 3. In quô capite tantum prohibitiones reperiuntur, ex illo malè elicitur conceſſio (affibulat, matrimonium inter conſobrinos in hoc capite concedit) Atqui ex Levit. cap. XVIII. non malè elicitur conceſſio illa, (de dicto matrimonio inter conſobrinos loquitur) Ergo!

Reſpondeo.

Si Major inepta eſt, certè illa eſt inepta, quam D. Bucholtz fabricavit. Nimirum. In quo capite tantum prohibitiones reperiuntur, ex illo malè elicitur conceſſio, quod dum ipſemet hoc dicit, cur contradicerem? Sat eſt, Dominum Examinatorem ſibi hîc Labyrinthum ſtruxiſſe ſyllogiſticum, in quô currit, & miſerè errat absque filo Ariadnes. At pejus adhuc errat ultimo ſuô ſyollogiſmo numero 3. quô probare vult, Majorẽ, a ſe tamen poſitam, ineptam eſſe; quod expedire non poteſt, quamdiu concluſio ſui ſyllogiſmi non opponitur huic Majori, quod ſtudioſi nôrunt. Sed ubi eſt illa concluſio? Ego in Examine nil invenio præter vocem, Ergò niſi ſubſtituendum ſit Argo, ut indigitetur concluſionem cum Argo magna vectam eſſe in cœruleos falſi potentis Neptuni campos, ad petendum aureum vellus. Videte tricas, quibus ſe ſepſit & intricavit Dominus Examinator.

Major Bucholzii, quam vocat ineptam, hæc eſt: In quo capite tantum prohibitiones reperiuntur, ex illo malè elicitur conceſſio.

Hanc majorem ineptam eſſe probabit. Dn. Bucholzius hoc ſuô ſyllogiſmo num. 3. qui talis eſt: In quô capite tantum prohibitiones reperiuntur. ex illo malè ſive non colligitur conceſſio.

Atqui, ex Levit. cap. XVIII. non malè conceſſio colligitur, ſcilicet matrimonii inter Conſobrinos. Ergo.

 Sed

Sed ubi hic eſt concluſio majori propoſitioni oppoſita, qua Majoris falſitas probata cernitur.? Evaſit! Erupit!

Notari hoc peto: Syllogismus Dn. Cenſoris, quem ſtruxit numero. I. is ſtat in primâ ſigurâ Medius terminus eſt, *quia meræ prohibitiones reperiuntur*. Si hunc medium terminum retinere vult in Syllogiſmo ſuo jam citato ex numero 3. uti fecit, retinet enim medium terminum cum Majore termino, & ſic Majorem propoſitionem totam, hinc non poteſt aliter concludere, quam ſic:

In quo capite tantum prohibitiones reperiuntur, ex illo malè elicitur conceſſio.

Atqui, in Levitici cap. XVIII. tantum prohibitiones reperiuntur.

Ergò ex Levit. XVIII. malè elicitur conceſſio.

Vide ſequentem poſitum terminorum:

Medius terminus:

3. Quia ibi tantum prohibitiones reperiuntur.

1. Minor.	2. Major.
Ex Levit. cap. 18.	malè elicitur conceſſio.

Sed hæc concluſio non opponitur majori. Ergò illam nòn evertit, quod Dn. Cenſor fieri volebat. Porrò, ex poſitione terminorum jam jam oſtenſa manifeſtum eſt, quod Dn. Examinator medium terminum (tantum prohibitiones reperiuntur) cum majore termino (malè elicitur conceſſio) conjunxerit in propoſitione ſuâ majore, ita ut medius terminus præcedat. Rectè! Hinc non poteſt per præcepta Logicæ, niſi in prima figura concludere, vel Syllogiſmum formare. Ergò in minore propoſitione debebat Minor terminus (in capite 18. Levitici iterum conjungi cum medio termino (meræ prohibitiones reperiuntur) ita ut medius terminus ſequatur, quod ſcholæ minorum gentium docent hoc modo: Atqui, in Levit. cap. XVIII. tantum prohibitiones reperiuntur. Verum, hoc non facit Dn. Examinator qui talem parturit nimis miram minorem, idque absque annuente Lucina, nimirum hanc:

Atqui in Levit. cap XVIII. elicitur conceſſio, (vel non malè elicitur conceſſio matrimonii inter Conſobrinos.) Hic autem medius terminus cum minore termino conjunctus citato loco non extat, contra vulgaria præcepta Logicæ, contra rationem. En Logicum artiſicium, & miſerrima merces Syllogiſticas venum euntes! Hinc nulla alia, (ſi Syllogiſmus rectè formatus eſſet) concluſio emerget, quam hæc. Ergò ex capit. XVIII. Levit. non elicitur, vel quod idem eſt, malè elicitur conceſſio. Sed hæc, Concluſio non petit majorem Syllogiſmi, qui extat num. 2. ſed minorem

Ponat

Ponat Dn. Cenſor terminos ſuos ita:

3. Medius

Quia conceſſio matrimonii inter conſobrinos inde elicitur

Terminus 1. Minor. 2. Major.

In Levit. cap. XVIII. non tantum prohibitiones reperiuntur.

Statim ita, & non aliter in prima figura concludere, aut Syllogiſmum formare poteſt:

Ex quò capite conceſſio matrimonii inter conſobrinos elicitur, in illo non tantum reperiuntur prohibitiones. Atqui ex Levit. cap. XVIII. elicitur talis conceſſio. Ergò in Levit. cap. XVIII. non tantum reperiuntur conceſſiones. Hæc concluſio iterum opponitur minori Syllogiſmi Bucholzii num. 1. non autem majori, quod voluit ipſe Cenſor. Doleo vicem viri! Cœterum, unum verbum poſternit miſerum hunc Domini Examinatoris Syllogiſmum totum. En! In quo capite tantum prohibitiones reperiuntur, ex illo malè elicitur conceſſio, ſcilicet, propter arctionem propinquitatem prohibitorum. Hinc ſtatim addo, ſororis defunctæ uxoris & ſororii matrimonium, in citato capite in cenſum prohibitorum transſcribitur, quòd ſupra probavi ex verſiculis 6.16.18. Ergò ſequitur, quod hujus matrimonii, ſcilicet ibidem prohibiti, conceſſio. ex illo capite elici nequeat. Succedat jam minor Bucholziniſyllogiſmi. Atqui ex capite Levit. XVIII. non malè elicitur conceſſio, matrimonii inter conſobrinos & conſobrinas. Profectò qui ſenſum communem non decoxit, facilè videt, quod in cenſu prohibitorum in Levit. cap. XVIII. nullibi reperiatur ſcripta illa, propinquitas, quæ eſt inter conſobrinos & conſobrinas. Enumerare poſſem omnia illa matrimonia, inter omnes illas perſonas, quæ non Jure divino, ſed ſaltim Jure humano, provinciali, aut municipali, contrahi prohibentur, quorum conceſſio facilè ex citato Levitici capite elicitur. Quomodo igitur! Quia ibi non reperitur talis prohibens propinquitas inter has perſonas contrahentes, quia hoc matrimonium inter prohibita iſtius capitis non reperitur. Sed quomodo hæc ad meum Syllogiſmum applicari poſſunt! Sicut Oriens ad occidentem, dextrum ad ſiniſtrum. Ego enim aſſero, quod ex illo capite, in quò meræ prohibitiones reperiuntur malè illorum prohibitorum conceſſio eliciatur. Oſtendo, quod in citato capite ſororius & defunctæ uxoris ſoror ſtent in propinquitate prohibitâ verſiculi 6.16.18. Et ſic ſibi invicem prohibeantur. Ergò hinc nullam matrimonialem conceſſionem elici poſſe. Conſobrinæ autem & conſobrini Levit cap. XVIII. non ſtant in propinquitate aliqua Levit c. XVIII. prohibita, ſibi invicem in citato Levitici capite non prohibentur. Ergò ſponte

 ſequitur

ſequitur conceſſio Quod enim prohibitum non eſt, conceſſum eſſe ſæpe cenſetur. Puerilia igitur ſunt, quæ Examen in medium tam prolixè hic proferre voluit.

Num. IX.

Citatur Levit. cap. XVIII. verſ. 6. Nemo ad propinquum (vel propinquam) carnis ſuæ acceditote. Per propinquitatem carnis ſuæ, ſolam conſanguinitatem intelligi putat Dominus Examinator. Hinc colligit, hanc prohibitionem generalem ſub ſe non complecti omnes prohibitiones ſpeciales, ideò quod vidua patris mei, nurus mea, fratria mea, ſoror uxoris meæ non ſint proximæ carnis, hoc eſt, conſanguinei & conſanguineæ.

Reſpondeo.

Prohibitio generalis eſt v. 6. Ne homo ullus ducat proximam carnis nimis propinquum vel propinquam. Targum Onkelos ante tot ſecula שאר בשׂמ carnem carnis rectè vertit קריב propinquitatem, proximitatem Illa autem propinquitas ſub ſe habet conſanguinitatem & affinitatem Hinc rectè contra Dominum Examinatorem concluditur: Quia in Levitici citato capite poſt vers. 6. usque ad vers. 17. incluſivè, non tantum ob conſanguinitatem, ſed etiam propter affinitatem nimis propinquam non nulla matrimonia prohibet DEUS Ergò per propinquitatem loco laudato non tantum intelligitur propinquitas conſanguinitatis, ſed ſimul propinquitas affinitatis, quod eruditiſſimi tam Theologi, quam ICti uno ore inculcant concorditer. Philipp. Melancht. Tom. I. pag. 338. D. Haffenreffevus de Conjug. pap. 612. D. Gerhard. Loco de Conjug: Pag. 391. D. Chemnit: de Conjug: cap. 3. §. Hinc etiam Judicium &c. D: Lutherus Tom. II. Jenenſ. fol, 165. David. Chytræus Comment: in Levit p. 299. D. Pelajus in Levit. pag. 172. Auguſtin. Tom. VIII. Quæſtion. Levit. l. 3. quæſt. 76. 61. Edit. Baſil. D. Sneidevvin. in Inſtit. ad Tit, x. p. 33. D: Kitzel. Synops. Manim. Theorem XIII. pag 53. D. Bechſtad: collat. Jur. Matrim. c. 8. p. 215. Et plures alii, quos hic citare, vix erit operæ pretium.

NUM. X.

Dicit, tantum hic controverti de eo. An prohibitio vers. 18. pertineat ad ſororem defunctæ uxoris, hujus autem quæſtionis affirmationem inde non firmari, quod omnes leges Levit. cap. XVII. ſint prohibentes.

Reſpon-

Reſpondeo.

Uxoris ſoror ſimpliciter Prohibetur v.18. quando Juxta ſententiam primam orthodoxam de ſorore propriè dicta ibi agitur. Dominus Examinator hoc conceſſit. Hæc verba, inquit, Et mulierem ad uxorem ejus non accipito, Parere Enunciationem univerſaliter negantem in forma. Ergò in formâ univerſaliter prohibent. Ergò lex illa prohibens, omnem prohibet ſororem, & conſequenter defunctæ uxoris ſororem, quæ æquè ſoror eſt, ſororis tam defunctæ, quam viventis. Quod autem annectit Dn. Cenſor de matrimonio inter fratrum & ſororum liberos vetito, fatuũ eſt, quia de illo nulla extat prohibitio, nulla litera in toto capite Levit. c. XVIII.

NUM. XIII.

Majorem Syllogiſmi mei non concedit Dn Examinator. Illa autem talis erat. Proxima carnis, ſive nimis propinqua, non debet duci in uxorem. Negat, omnes prohibitiones propter iſtam propinquitatem factas eſſe.

Reſpondeo.

Dominus Examinator vocat gloſſam Gamologiæ meæ. Sed clarè ac ſolidè de omnibus mihi hoc loco objectis agam. (1) *Loquor* de omnibus probibitionibus à vers. 6. ad vers. 17. incluſivè, vel ad vers. 18. incluſivè in hoc meo diſcurſu? Quando verſus ille de uxoris ſorore propriè agere adſeritur, juxta ſententiam primam orthodoxam. Cœteræ enim prohibitiones usque ad finem capitis non fiunt *p*ropter cognationem. Nam in vers. 19. fit prohibitio ob immunditiem. In vers. 20. prohibetur pollutio per adulterium. In. vers. 23. concubitus hominis cum beſtiâ damnatur ubi nec conſanguinitas eſt, nec affinitas. Hæc debuiſſet Dominus Examinator obſervare, nec tàm illimitatè loqui de omnibus prohibitionibus. (2) Dum propinquitatem arctiorem negat eſſe cauſam prohibitionum usque ad vers. 17 vel 18. eadem opera ſimul negat ſolem in meridie. Vide propinquitatem in vers. 7. mater tua eſt, Et vers. 8. nuditas patris tui eſt Et v. 10. nuditas tua ſunt. Et. vers. 11. ſoror tua eſt Et. v. 12. propinqua patris tui eſt Et. vers. 13. propinqua matris tuæ eſt, Et vers. 14. amita tua eſt. Videt hic Dominus Examinator craſſum ſuum errorem, quem non ego, ſed textus ipſe, hic quater, quinquies confutat. Cur non contrahes cum nominatis; quia mater tua eſt, ſoror eſt, amita tua eſt, propinqua tua eſt. En arctior propinquitas prohibitionum illarum cauſa eſt quod Dominus Examinator audet negare planè contra verſum ſextum & omnes hoſce citatos

vers.

verſiculos Quodautem affibulat de æterna lege,id Jeſuitiſmum redolet, de quó hic non ago,nam huc planè iſtud non pertinet,habet hic legem prohibentem,ne ullus homo iu orbe terrarum ad proximam vel proximum carnis accedat.Hæc lex divina eſt.Ego,qui hoc prohibeo,ſum Jehovah,qui fui,qui ſum,qui ero immutabilis.אני הוא ego idem ille,in æternum.

NUM. XIV.

Minorem Syllogiſmi mei falſitatis hic inſimulat.*E*rat autem hæc.Soror uxoris defunctæ ſororio ſuo eſt proxima carnis, ſive nimis ei eſt propinqua.

Reſpondeo.

Soror ſorori dicit ex Geneſ.cap.XXXVII.vers.27.Tu ſoror mea, es caro mea.Sororius uxori ſuæ dicit.Nos ſumus una caro,aut in carnem unam.Ex Geneſ.cap.II.v.24.Propinquitas inter fratriam ac fratrem,eadem eſt,quæ inter ſororium & defunctæ uxoris ſororem.Ergò utrobique infert prohibitionem.Vide ſupra Argumentum meum primum. Quid ad hæc Dominus Examinator.Nihil ſolidi poteſt opponere.Ergò relabitur ad gradus.Sed fruſtra;nam dedita opera gradus hic tantiſper ſepelio,ut videat me propinquitatem biblicam ac textualem allegare Oſtendat autem illam proximitatem non eſſe eandem in recenſitis duobus caſibus de fratria & de uxoris defunctæ ſorore.Non poteſt.Ideò ſe abdit in vepreta,iñ Reſponſum Juris,in fictionem Juris usque ad num.17.ut ibi aliquantulum tutius,poſſit poſt carecta latere.*S*ed folia ſunt,quæ ventum & pluviam non ferunt.

NUM. XVII.

Hic numerus nil habet contra me.Urgeo autem Vau copulativum, quod Junius & Tremellius,recte vertunt per Item,quo probo in vers.18. nudam prohibitionem eſſe,qualis erat in præcedentibus verſiculis,quod concedit Dn.Examinator.*S*ed hoc,quod docet ipſe;Tu ſororie potes uxoris tuæ ſororem ducere,quando uxor naturæ conceſſit. Hoc in inquam, non prohibitio eſt,ſed conceſſio,quæ non deliteſcit in vers.18. propter prohibitionem univerſalem & abſolutam;et mulierem ad ſororem ejus non accipito.Et quia verſiculi omnes hic prohibent.idque propter ſpecialem propinquitatem quæ v.16.ab ipſo textu allegatur,quæ nulli ſororio,ullo tempore,uxoris ſororem permittit.

Arg.

ARGVMENTVM IV.

Hoc argumentum attigi in Gamolog. Pag. 421. quod ità formari poteſt ſyllogiſticè.

Quicquid ſcriptura planè præterit, ita ut nec verbis, nec evidente ac neceſſariâ conſequentiâ iſtud doceat, id non temerè debet affirmari & defendi.

Atqui licentiam ducendi uxoris defunctæ ſororem, ſcriptura planè præterit, ita, ut, verbis, nec evidente & neceſſaria conſequentia iſtud donat, Ergo. Major, eſt immota: Minor eſt veriſſima. Verba enim in Bibliis non reperiuntur, quæ tale quid jubeant. Conſequentia evidens & neceſſaria (hæc enim Theologi rectè conjungunt, ne ſpurias Pontificiorum, Photinianorum, Anabaptiſtarum &c. & quaslibet ex cerebris conceptas ſequalas intelligere videamur) nōdum eſt in ſcenam à quoquam producta, nec unquam producetur. Stat ergò concluſio: tanquam murus Semiramidis, inconcuſſa, contra aridas conjecturas, & Chaſſilionis phthiſicam διάνοιαν.

Sequitur Examen.

Hoc argumentum quartum, huic Syllogiſmo illigatum erat, Quidquid Scriptura planè præterit, ita ut nec verbis, nec evidente ac neceſſaria conſequentia iſtud doceat, id non temerè debet affirmari & defendi. Atqui licentiam ducendi defunctæ uxoris ſororem, Scriptura ſacra planè præterit, Ergò.

NUM. II.

Dicit Dominus Examinator, ſe totum Syllogiſmum concedere, quia ſe non temerè dicit docere matrimonium cum uxoris defunctæ ſorore. Sed, qui ſine textu divino hic docet, is temerè docet. Verum, Dn. Examinator ſtatim mutat ſuam ſententiam, & præmiſſas mei Syllogiſmi ſibi ait contradicere. Feſtivè? Qui totum Syllogiſmum concedit, is eâdem opera concedit Majorem ac minorem, ſine quibus non eſt Syllogiſmus, uti ſine ſomno non poteſt fingi ſomnium. Iterum Dn. Cenſor mutatur, dicitque ſe Syllogiſmum materialiter concedere facilè, in forma autem eſſe fallacem. Sed Syllogiſmi hujus major eſt univerſalis; minor autem affirmata, & medius terminus præcedit in majore, ſequitur in minore. Et ſic Logicorum regulis ex aſſe congruit. Ergò in forma bonus eſt. Pergit. Hic Syllogiſmus declinat ad ſophiſma plurium interrogat unum.

Reſpondeo.

Inclinat ad hoc Sophiſma. Ergò nondum accuſari poteſt hujus ſophiſmatis

phiſmatis. Peſſimè ſic colligitur. Hic inclinat ad furtum, ad cædem. Ergò furatur, occidit. Ergò fur eſt, homicida eſt. Abſona. Quæ de ſophiſticatione affibulat, probatione deſtituta ſunt. Ergò non merentur reſponſionem.

NUM. IV.

Aſſerit, minorem Syllogiſmi mei falſam eſſe. Nimirum licentiam ducendi uxoris demortuæ ſororem, planè prætereri in ſcriptura, nec legi expreſſis verbis, nec neceſſaria conſequentia colligi.

Reſpondeo.

Quoties rogavi Dominum Examinatorem, ut mihi in textu originali oſtendat has prohibitiones.

Et mulierē ad ſororem ejus non accipito ad laceſſendum. Athnach, Colon.

Et mulierem ad ſororem ejus non accipito in vita ejus. Colon

Sororio poſt uxoris mortem licebit uxoris ſuæ ſororem ducere. Nullam harum hactenus oſtendere didicit ex originali textu nec ullam neceſſariam conſequentiam, quæ hoc pròbet, ullibi protulit, niſi Thalmudicam, Rabbinicam, Jejunam, Jeſuiticam Cui glaciei nimis ſubtili, non fido in tam arduis, quæ nunquam Carthaginis altæ, Fundamenta locat.

NUM. V.

Fieri poſſe dicitur, ut lex non jubeat hoc vel illud matrimonium, & tamen implicitè per conſequentiam concedat.

Reſpondeo.

Aliud eſt fieri poſſe, & aliud eſt actu fieri. Sed quia à poſſe ad eſſe non valet conſequentia, probetur τὸ eſſe, & negligatur τὸ poſſe. Probetur per conſequentiam neceſſariam non Rabbinicam, ex ullo textu Biblico, ſororem defunctæ uxoris duci poſſe. Sic illicò halcyonia erunt apud forum. Sed ubi ſunt novem illi mi Dòmine Bucholzi, qui hoc faciunt? Fecit id hactenus nullus. Et tu fruſtra amphoram inſtituiſti, nam urceus exit. Juxta illud Venuſim Poëtæ

NUM. VI.

Quid hic novi? Dominus Examinans dicit. Pergit inferre, (intelligit me, ſive Adſertionem meam) Ubi verba legis non Jubent licentiam contrahendi, ibi iſta licentia contrahendi nec verbis, nec neceſſaria conſequentia poteſt doceri Hæc inquit, propoſitio falſa eſt.

Reſpondeo.

Rogo, benevole Lector, inſpice Adſertionem meam, Argumento VI. num. 12, & videbis citatam illam màjorem ibidem planè non legi. Videtur

detur hæc mihi prælicenter affingi. Væ qui cum ingeniis confli&atur ejusmodi. Candidè contra me diſputare debebat Dn. Bacholzius, ſi ſibi fidit, falſa autem illa ac ficta lectori obtrudere, non eſt antiquæ virtutis & fidei. Dicit, propoſitionē hanc eſſe falſa. Ita eſt. Sed illa propoſitio Bucholzii eſt, metat igitur, quod ipſe ſevit. Facetus tamen eſt in ſua parentheſi dum addit (quid ſit, jubere licentiam, non quivis capiet) Reſpondeo. In Adſertione mea Argum. IV. num. 12. illa verba quæſivi, ſed non inveni.

Hinc nec ego capio illam depravandi licentiam, qua Dominus Examinator Senſim fit deterior, non autem melior.

NUM. VII.

Regerit Dn. Examinans. Non tantum conceſſionem, ſed etiam prohibitionem contrahendi cum defunctæ uxoris ſorore legem Moſaicam præterire, ita tamen ut evidenti conſequentiâ iſtum contractum concedat.

Reſpondeo.

Nullam me videre conſequentiam, niſi febriculoſam illam Judaicam ac Jeſuiticam. Non licet vivente uxore. Ergò licet mortuâ uxore. Addo, quod verſiculus decimus octavus, univerſaliter & ſimpliciter uxoris ſororem prohibeat. Et mulierem ac ſororem ejus non accipito, ſimulque parit enunciationem univerſaliter negantem. Nullus ſororius ducat uxoris ſuæ ſororem. Falſum igitur eſt, quod Moſe prohibitionem hanc præterierit. Vel juxta ſecundam ſententiam orthodoxam. In verſu. 18, non agitur de ſorore uxoris ſed de polygamia, ne uxor una ad alteram ducatur Ergo Moſe eo verſu non conceſſit hunc Contractum, quem plane prohibuit. v. 16 quando fratriam prohibuit verbis expreſſis, uxoris quoque ſororem per conſequentiam evidentiſſimam, in identitate proximitatis radicatam firmiſſimè.

NUM, IIX. IX. ad XV.

Quidquid à lege non eſt expreſſè prohibitum, illud permiſſum.

Reſpondeo.

Soror ſororio expreſſè prohibetur v 18. juxta ſententiam primam Et mulierem ad ſororem ejus non accipito. Athnach, Colon. De prohibitione luculentâ ex Levit: cap. XVIII. vers. 6 & cumprimis vers. 16. ſupra differui argumento meo primo, quæ Dominus Examinator confutare non ſum dedit. Falſiſſima igitur eſt Minor Domini Cenſoris, quod Moſe non faciat mentionem matrimonii cum defunctæ uxoris ſorore. Qui enim uxoris ſororem univerſaliter prohibet Levit. cap. XVIII. vers. 16. & vers. 18. idque propter arctiſſimam affinitatem, ortam ex denudatione ver.

6.& 16.quâ ſororius ductam primam ſororem nullavit,is nihil hic excipit, nihil concedit,nec vitam nec mortem ullo modo penſi habet, cum mortis prohibitionis hujus genuinam cauſam, nimirum arctiſſimè contractam affinitatem planè non tollat,quod ſupra evici.Et ſi verſus.18.de polygamia intelligitur , manet tamen prohibitio ſororis defunctæ uxoris in verſu citato 16,propter propinquitatem.Quæ ſequuntur.valdè inſipida ſunt num. 11.quod matrimonium ſit res indifferens,hoc ſciunt noſtri agricolæ,videlicet neminem cogi per ullam legem ad ducendam uxorem,neminem quoque arceri ne ducat.Et num.12.ubi aſſerit,caſus expreſſè non prohibitos, in numero permiſſorum eſſe relinquendos?At Qùam abſurdum hoc ſit, ſupra oſtendi Domino Examinatori in multis exemplis ex D. H[illegible] [illegible]ſero.Quod etiam inveniet apud D.Chemnitium Loco de Conjug.C 3.Sic aviæ liceret nepoti aut pronepoti, nurui ſocero, nepti avo, aut proavo nubere,quia hæ perſonæ his verbis non exprimuntur in Levitico.I[illegible] ſunt & manent vetiti inceſtus.Sicut in linea collaterali, ſoror fratri divina prohibitione prohibetur.& fratri fratria cum ſobole relicta,quæ prohibitio neglecta parere poteſt Niddah ſeu abominationem in oculis ſummi Legislatoris,uti textus dicit.Et ſic recto ductu itur ad inceſtum,ſi hi caſus pro conceſſis ideo venditantur,quod expreſſis verbis non ſit facta prohibitio in Levitico.

NUM. XIII.

Allegat hæc verba:Quidquid non jubet lex,id permiſſum eſt,hoc ait vacillare.Sed Dominus Examinator hoc non inveniet in Adſertione meâ. Ergò inſipidum hoc ſibi ſervet,aut ſuo remittat authori.

NUM. XIV.

Tepidè reſpondet ad minorem Syllogiſmi mei.quæ talis erat. Atqui, licentiam ducendi uxoris defunctæ ſororem,ſcriptura nec expreſſis verbis,nec neceſſariâ conſequentia docet.Dicit idem per idem hic probandum ſed reſolvat Syllogiſmũ.Minor terminus eſt,ſororius.Major terminus eſt, ducere defunctæ ſuæ uxoris ſororem,quod licere negatur,per hunc medium terminũ; quia ſcriptura nec expreſſis verbis,nec evidente conſequentia hanc facultatem ducendi ullibi docet. Hoccine eſt idem probare per idem. Quando autem addebam,nec expreſſa verba,nec neceſſariam conſequentiam in univerſis Bibliis reperiri,quâ facultas ducendi uxoris ſororem ulli permittatur ſororio.Si hæc mea verba vera ſunt,cur allatrat veritatem. Si falſa ſunt.cur mihi non oſtendit vel expreſſa verba ſcripturæ,vel neceſſariam conſequentiam Nonnum poteſt oſtendere, quod toties petii ſed fruſtra.Nil enim moror conſequentiam Thalmudicam deſipientium Judæorum

derorum. In vitâ non licet. Ergò poſt mortem licet. Hanc διανοίας catenulam ex ſabulo Arabico factam retineat Dn. Examinator, nec aliis tanto obtrudat impetu, qui cohærentiam hic nullam inveniunt, ſed talem, qualis apud Thalmudiſtas ſæpe occurrit, juxta Logicam Rabbinicam quæ miſcet conchylia turdis.

ARGUMENTUM V.

Argumentum quintum tetigi paucis in Gamologia P.422. Provoco ibidem ad Levit. c. XVIII. v. 14. nuditatem patrui tui ne retegito, ad uxorem ejus ne appropinquato? Amita tua eſt? Nimis tibi propinqua eſt. Hìc prohibetur ſecundus gradus lineæ inæqualis. Ergo, qui non poteſt ducere patrui ſui uxorem, is non poteſt ducere defunctæ ſuæ uxoris ſororis filiam. Idem enim gradus, idem caſus eſt utriusque, qui hic prohibetur. Ergò, qui filiam uxoris defunctæ ſororis ducere non poteſt, is multò minus ipſam matrem hujus filiæ ducere poteſt, nimirum, defunctæ uxoris ſororem. Quando enim remotior gradus eſt prohibitus, tunc multò magis gradus propinquior prohibitus eſt propter arctiorem propinquitatem.

Syllogiſticè ita.

Quicunque prohibuit gradum remotiorem, is magis prohibuit gradum propinquiorem.

Atqui Deus prohibuit Levit. c. 18. v. 14. gradum remotiorem, ſcilicet ſecundum lineæ inæqualis.

Ergò magis prohibuit propinquiorem, ſcilicet primum, lineæ æqualis.

Quod idem eſt, ac ſi dicerem, Deus prohibuit duci filiam ſororis, defunctæ uxoris.

Ergò magis duci prohibuit ſororem ipſam illius uxoris demortuæ. Hæc dicta ſunto ad mihi oppoſitæ adſertionis caput quintum, membrum primum, & hanc ejus Epigraphen, *Examen argumentorum Dn. Havemanni contra hoc matrimonium*, Jam pergam ad examen ipſum, viſurus an abſque divergiis, ad iter ſe feliciter accingat, quibusve vialibus hoc iter conficiat. Hunc ordinem autem obſervabo. Primò verba ſcripti mihi oppoſiti ſive adſertionis viri conſultiſſimi Dn. D. Bucholzii plenè, & bonâ fide præmittam, & acturum conſiderationem meam pone ſequi jubeo, idque characteribus diverſis, ut oculorum ictui illicò ſe ſubdant omnia.

Sequitur Examen.

NUM. I. II. III.

Dominus Examinator dicit [1) Argumentum hoc meum quintum

tum confutatum eſſe in Reſponſo Juris, qualis autem ſit illa reſ[illegible] non addit. Sed quia opponentem hic non invenio. Reſpondentis munus ſuſpendio.

NUM. II

Ita Dn. Cenſor audet ſcribere, dediſcat, me ut Lojolitam, Photinianum, Anabaptiſtam, Fanaticum ac Judæum proclamare.

Reſpondeo.

Hic plane exhorreſco, quippe, qui ſub argumento meo quid [illegible] literam quidem hac de re reperio; ſub argumento autem quarto hoc [illegible] tum moneo. Quando aliquid per conſequentiam ex ſcriptura ſacra [illegible] eliciendum, intelligi a Theologis, conſequentiam evidentem & neceſſariam. Addo, hæc *enim Theologi recte conjungunt, ne ſpurias Pontificiorum Photinianorum Anabaptiſtarum &c. & quaslibet ex Etnicis conceptas ſequelas intelligere videantur.* Quid hoc ad Bucholzium! Nihil omnino. Dedicat igitur Dn. Examinator contra veritatem loqui, tum ſpiſſa falſa mihi impiè affingere. quô nihil aliud quærit, quam ut me erobium reddat, quaſi ſim tam ruris plenus Menalcas, qui tam abſona ſcribat. Idque facit, quando ad rem reſpondere non didicit. Theologi conſequentias urgent neceſſarias, ne videantur intelligere quaslibet Pontificiorum, Anabaptiſtarum ſequelas. Ergò D. Bucholzius eſt Pontificius, Photinianus, Anabaptiſta, Puerilles nugæ!

NUM. IV. ad XVI.

Porrò a numero. 4 ad num. 16. hoc comprimis agit Dn. Examinator, & ex Tom. II Jenenſi German. Fol. Et ex Tom. Jenenſi German. V. 255 ſententiam Lutheri vult oſtendere, matrimonium inter ſororium & defunctæ uxoris ſororē nō eſſe in Moſe prohibitū; quā ſententiā ſequantur Sarcerius Brentius. Princeps Anhaltinus, & Hugo Grotius. Imò ſtatuere Lutherum, ne quidem ſororis defunctæ ſuæ uxoris filiam, à Moſe ſororio eſſe prohibitam; Et quod malè colligam; Prohibetur gradus remotior, nimirum uxoris defunctæ ſororis filiæ. Ergò multò magis ſoror ipſa prohibetur ſororio, nimirum gradus propinquior.

Reſpondeo.

Quod in prioribus ſcriptis ſic ſenſerit Lutherus, libenter Concedo. Quod autem ea, quæ Tomo II. Jenenſi continentur, ad Annum. 1522 pertineant, ipſa docet inſpectio. Quod autem Dn. Lutherus priores ſuos libros cautè velit legi, hoc patet [illegible] ex Tom. I. Jenenſ. fol. 2. Fur allen Dingen bittetich den Chriſtlichen Leſer / und bitte ihn umb unſers HErrn

Jeſu

Jeſu Chriſti wollen/daß er meine erſte Bücher/ gantz bedächtlich/auch mit groſſem Mitleiden wolle leſen/ꝛc. und fol. 3. Solches erzehle ich darumb auff daß/ ſo du meine Bücher leſen wirſt/dich zuerrinnern wiſſeſt / daß Ich auch einer von denen bin (wie S. Auguſtinus von ſich ſelbſt ſagt) durch ſchreiben und anderer Zulehren:zugenommen haben ꝛc. Mann leſe weiter fol.4.

Oſtendat autem Dn.Examinator eandem ſententiam Thaumaſiandri Lutheri, ex ſcriptis poſtremis,& phyllida ſolus habebit. Sed hoc non fecit, nec hactenus facere potuit. Interim affirmat, quod Dn.Lutherus hanc ſuam ſententiam retinuerit. Probet igitur, quod affirmat, ſed etiam hoc nondum factum eſt. Authoritati autem quatuor ſcriptorum citatorum, oppono Academias,& Theologos ſupra citatos,&plures alios qui uno ore concorditer docent, Uxoris defunctæ ſororem ſimpliciter ſororio prohibitam eſſe, quique docent, quod ille ne quidem filiam ſororis uxoris ſuæ ducere queat. In Gamologia mea reperiet hoc reſponſum in Conſiſtoriis & Academiis datum,& à magnis Theologis & JCtis confirmatum eſſe. Et quid lucraretur Dn.Cenſor, ſi probaret, Lutherum in veteri duraſſe ſententia, quod tamen nunquam probabit. Lutherus enim nos ad ſcripturam remiſit. Lutherus priora ſua ſcripta in diluculo in cipiente luce nata eſſe docet, quæ multum adhuc habent de caligine nocturna, cur igitur Dn.Examinator inſtar veſpertilionis in hiſce libris obvolitat; Habet Moſen & Prophetas, diſputet mecum ex Moſe, videt enim quod textum urgeam divinitus inſpiratum. Tantum hac vice ad ſtrepitum ex Sarcerio Brentio, Grotio&c. Ne tamen aliquid præteriiſſe videar, obſervo quod dicit Dn.Examinator; Minus inferendum eſt à prohibitione matrimonii cum uxore patrui, ad prohibitionem cum uxoris ſororis filia, quarum perſonarum conjunctio tantum ex affinitate venit; Et quia Moſes non prohibuit gradus, ſed perſonas.

Reſpondeo.

Moſe Levit. XVIII. vers. 6. oſtendit unicam, genuinam ac principem cauſam prohibitionum ſequentium, quæ non permittunt matrimonium, nimirum hanc propinquitatem carnis. *Nullus homo ad propinquam carnis ſuæ accedito.* Ubi talis propinquitas eſt, ibi matrimonium non eſt nec eſſe poteſt. Cæterum, vers. 14. prohibet, ne quis ducat vel accedat ad patrui ſui uxorem. Ergò inter fratris filium & patrui uxorem eſt propinquitas quæ inter has perſonas matrimonium prohibet. Illa autem propinquitas non eſt conſanguinitas, ſed affinitas, quod omnes ſciunt, qui ſapere didicerunt. Ergò hæc affinitas, quæ eſt inter fratris filium, & patrui uxorem eſt cauſa princeps prohibitionis inter has perſonas. Sed eadem omninò

affinitas

affinitas,qualis erat inter fratris filium & patrui uxorem,eadem inquam illa ſtat pede conſtrato inter ſororium &uxoris ſororis filiam; Ergò eodem modo prohibet ſororio defunctæ ſuæ uxoris ſororis filiam,Ineptiſſimè igitur diſſerit Examinator, quando ait,poſterius ex priori non colligi. Hic enim eſt affinitas, uti inquit. Reſpondeo;Eſt ibi affinitas.Sed hæc affinitas prohibet matrimonium.Rogo oſtendat mihi quòd n utroque caſu non ſit eadem propinquitas ſive affinitas. Hoc non poteſt oſtendere,impoſibile ei eſt,& erit.Ediſſerat, cur eadem propinquitas non edat eundem effectum,cur in primo caſu prohibeat,in altero non prohibeat.Hærebit,ſcio! Unum tamen habet inanè aſylum.Moſe ait non prohibuit gradus ſed perſonas, quod repetit num.21.27.At Philippus Melanchthon ſupra reſpondebat,Hoc eſſe nugari cum Judæis.D.Hilleſheſſerus reſpondebat,abſurda plurima,& inceſtus ex hâc aſſertione emergere.Et ſanè hoc effugiū non liberabit ipſum,quia urgeo hic eandē propinquitatem,& quidem textualem.De computatione per gradus,de gradibus huc nil dico.Ergò fruſtra hìc diſputat Bucholzius contra gradus,ut ex ictu illæſus,dum huc illuc ſalit cum capris ſaltantibus ſub cælo aquilonari.

NUM. XVI.

In fine aſſerit Dn. Cenſor,jure naturali tantum à commixtione carnali arceri in recto gradu conſtitutos,non ex latere venientes, de quo infra.

Reſpondeo.

Aſſertio illa eſt falſiſſima & jeſuitica & nimis periculoſa, inceſtus Jenetrix ac nutrix, de quâ infra agat, ut ablegetur ad inferos nunquam in Dei Eccleſiam reditura. Addo,quod nihil faciat ad quæſtionem noſtram controverſam,An uxoris ſoror duci queat,quæ ex textu Moſaico Levit. c.XVIII, ſuam tantum exſpectat deciſionem. Aliud eſt an liceat·Et aliud quo jure liceat?Lege naturæ an poſitiva. Non de hoc ſed de illo diſputamus.

NUM. XVII. XVIII. XIX.

Mirum hìc coagulum reperio,Dominus Examinator oſtendet nobis novam rationē differentiæ,quæ conjugium inter me,& patrui uxorem prohibet,inter me verò,& filiam fratris aut ſororis meæ conjugium admittat. Maritus, inquit,eſt caput uxoris.Ephes. Cap.V.vers.23.cui,ut ſuperiori obſequium debet uxor. Jure autem ſanguinis in linea aſcendente conſtituto,ſeu mari ſeu fœminæ reverentia debetur ab eo,qui eſt ex deſcendentibus, Quando autem in matrimonio habeo patrui mei uxorem, ejus

ex

ut caput & ſuperior non poſſum illi reddere illam reverentiam, quam reſpectu lineæ aſcendentis à me exigit, nec illa mihi obſequium præſtabit, vetante lineâ aſcendente, quod à ſe uxore mihi debetur. Hoc impedimentum ceſſat ex ratione naturali deductum, ſi duxero fratris aut ſororis filiam, quæ reverentiam mihi non denegabit, nec in conjugio meum recuſabit imperium. Ex his ſaltem perſpicuum eſt quantum interſit inter matrimonium cum uxore patrui & cum filia ſororis uxoris. Hæc Paucis tango, benevolus lector cœtera legat in ipſo examine.

Reſpondeo.

(1) Non opus erat tali mixturâ, & confuſâ texturâ. Uno verbo. Inter Te, Dn. Examinator, & patrui tui uxorem intercedit affinitas. Sed inter te, & fratris aut ſororis tuæ filiam, non intercedit affinitas, ſed conſanguinitas, utraque autem prohibet matrimonium. Hic habes differentiam. (2) Textura illa nova ex capite Epheſ. V, & ſuperioritate mariti patrui uxorem ducentis, & de reverentiâ ex lineâ aſcendente eidem debitâ quæ ſimul vix queant ſtare, fateor me, nondum quidquam hujus legiſſe in Moſe, quippe, qui verſu. 6. Levitici c. XVIII. arctiorem propinquitatem tam in conſanguinitate, quam in affinitate, ſolam principem cauſam ponit prohibitionis matrimonii. Transmarina igitur hæc ſunt, quæ Dn. Examinator hic in ſcenâ prodire jubet, niſi fortè ex Thalmude aut Miſchna ſunt eruta? vel ex Africa in Europam nudiustertius delata. Quod autem Dn. Cenſor, ſororis ſuæ filiam ducere poterit, idque propter ceſſans hoc impedimentum ex recta ratione deductum, quippe quæ reverentiam ipſi non denegabit, nec in conjugio obſequium recuſabit. Hoc mihi tam inſolens eſt, ac ſi Dn. Cenſor propriam vellet ducere ſororem, ſi illa tantum ob illum reſpectum quo frater eſt, quo mas eſt ipſi non negaret reverentiam, nec ejus in conjugio recuſaret imperium. Quis in Bibliis univerſis talem legit diſcurſum? Meminerit Dn. Cenſor, inter ſe & patrui ſui uxorem intercedere prohibentem propinquitatem, ob quam ducere illam nequit. Sed & inter ſe ac ſororis ſuæ filiam, ſtare eandem prohibentem propinquitatem, ob quam ſororis ſuæ filiam ducere nequit. Præſtet ſe [illegible], & monſtret mihi inter utramque propinquitatem ullam differentiam. Impoſſibile erit. Cœterùm, longè aliud eſt, quod circa inverſionem ac perturbationem terminum ex conſanguinitate & affinitate ſuppullulantium propo[illegible]vit, quod non eſt hujus loci. (3) Quod tandem concludit, ex his perſpicuum eſſe, quantum interſit inter matrimonium cum uxore patrui, & cum filia uxoris ſororis, dicat mihi quomodo hæc cohæreant. Diſcurſus

ſus Domini Cenſoris erat de differentia inter matrimonium cum patrui uxore & cum fratris aut ſororis filia. Sed quid hoc ad uxoris defunctæ ſororis filiam & ſororium. Nunquid ingenium Dn. Cenſoris hic dormit, cum Noctuno, aut cum opio thebaico. Cujus diſcurſus de Oriente agit, concluſio de occidente loquitur. Oſtendo in ſchemate.

F
Stipes •
B. ——— C. — D.
|
A

Pono. B. & C. fratres ſunt: Sed A eſt filius fratris. Et D. eſt uxor patrui. C. qui frater eſt τȣ̃ B. At filius hujus A. prohibetur ducere patrui ſui uxorem D. Retinebimus eaſdem literas in veteri ſuo poſitu. Pono jam B. & C. ſorores eſſe. D. eſt ſororius, vel maritus ſororis C. Illa ſoror C. moritur. Hinc ſororius D. non poteſt ducere defunctæ ſuæ uxoris C ſororis B. filiam A. (ſeiner Frawen C. Schweſter B. Tochter A.) Quia eadem hic eſt propinquitas, vel arctior affinitas. quæ erat inter fratris filium A, & patrui C. uxorem D, in priori caſu. Ubi autem eadem propinquitas eſt, idem effectus, eademque prohibitio ibidem locum habet. Spiſſus igitur error eſt D. Bucholzii, quando caſum alienum, de fratris aut ſororis filia, confert cum illo caſu de fratris filio & patrui uxore. Vide ſchemata.

	Caſus I.	Caſus II.	Differẽtia inter caſũ primũ & ſecundum, nõ pertinet ad caſũ tertiũ de uxoris ſororis filia, quippè qui nihil differt in propinquitate à primo caſu.
	ſtipes	ſtipes	
frater	B. C -- D. uxor Patrui.	Soror B. — C. frater.	
	Patruus prohib.		
fratris filius	A	Filia A	
	Caſus primus in affinitate conſiſtens	Caſus ſecundus Conſanguinitate Conſiſtens	
	Differentia.		

Quam optem, ut Dn. Cenſor mihi oſtendat, diverſitatem propinquitatis ſive affinitatis inter fratris filium & patrui uxorem & inter ſororium & defunctæ uxoris ſororis filiam. Hic Rhodus, hic nodus, hìc ſalta, hic ſeca. quod dici adſolet. Hic autem Examen pythagoricè tacet, & ex jure naturæ ex Epheſ. C. V. adductum proprii cerebri emanans. Eruditiſſimi Theologi ac Juris Conſulti omnes prohibitiones, Leviticas ad omnes homi-

mi-

mines pertinere & ſic Juris naturæ eſſe ex ipſo textu Moſaico dudum comprobarunt contra J: ſuitarum ſociennos quod ſi quando probè explicatur. Nullo negotio defenditur. Sed id non pertinet ad noſtram quæſtionem, Nos enim verſamur in quæſtione An ſit? An Matrimonium cum ſororis uxore in Levit. c. XVIII. ſimpliciter ſit prohibitum. Egò affirmo. Dn. Cenſor negat. De qualitate prohibitionis, ſitne prohibitio juris naturæ, an verò, legis poſitivæ. Longè alia quæſtio eſt. Mihi ſufficit abundè. Uxoris ſororem ſororio ſimpliciter prohibitam eſſe Levit. c. XVIII. & ſic divina prohibitione hoc matrimonium prohiberi v. 16. propter illam propinquitatem, quæ Niddah ſive abominationem poteſt parere, ſi neglectui ſit. Quod autem attinet gradus de quibus agit Dn. Examinator n. 29. 30. 31, illa etiam quæſtio non pertinet huc, quia ipſam propinquitatem urgeo. Hic tamen paucis explicabo quæſtionis mentem. Hoc quæritur. An prohibitiones Levit. cap. XVIII. tantum ad perſonas à Moſe nominatas pertineant, an verò ad omnes illos, inter quos eadem eſt propinquitas, propter quam Moſe inter has matrimonium prohibèt? Prius negatur, poſterius affirmatur, Ubi annoto, etiãſi Moſi moderna per gradus computatio ignota fuiſſe concedatur, non tamen ei ignota fuit ulla propinquitas prohibens matrimonium, ſive illa ex conſanguinitate, ſive ex affinitate naſcatur. Id quod patet ex verſu ſexto citati capitis, qui monſtrat hic non conſiderari perſonas ſed indicata à Deo conſideratur proximitas inter perſonas, hæc prohibet. Ubi igitur illa eſt, ibi prohibet, ſive perſonæ nominentur, ſive non. Prohibitio à Deo coniuncta eſt cum propinquitate. Conjuncta igitur maneat, donec deus excipiat. De abſurdis ſupra egi. Futilis igitur eſt concluſio. Computatio juxta gradus à jure civili eſt excogitata. Ergò fundamentum computationis, nimirum omnis illa propinquitas matrimonium impediens Viro ſanctiſſimo Moſi cœlitùs illuminato, & ex immediata Spiritus ſancti inſpiratione ſcribenti, fuit ignota. Gerræ Siculæ! Coronidis loco notet benevolus lector. Dominus Examinator ſub num. 29. dicit, Ante Chriſti adventum Moſes tot ſeculis obdormiverat, & addit profectò, ſi quis error in Chronologia, hic ſatis enormis eſt.

Reſpondeo.

Cum ſtupore primâ vice hæc legebam, in eo loco, in quo Cenſor Argumentum quintum Adſertionis meæ examinat, Sed legi & relegi omnia mea verba in Argumento quinto, nec ullum invenio verbum, de tempore inter Moſen & Chriſtum labente. Cur igitur hæc Adſertioni meæ, contra quam hic diſputat, affingit. Si ſcripſiſſem, tot ſecula inter Moſen & Chriſtum elapſa ſunt, vel Moſes ante Chriſtum tot ſeculis obdormiverat

quis,niſi deſiperet,vel tantillum ſuſpicari poſſet de errore Chronologico. Dicat mihi Dn.Examinator, tot ſecula,quod ſint ſecula! Vocula tot quem notet numerum in Arithmeticis! Quoniam cum gente tot annos Bella gero.Quot annos duravit bellum?Sed quando reſpondebit? Deploro in tali viro tales ineptias.Iterum rogo,notet benevolus Lector.Ut ſolet Dominus Cenſor minutioribus typis aliquot mea verba,quæ tamen certum ſenſum non promunt,præmittere,quæ poſtea examinat,vel exagitat ſuo more.Sic quoque numero 30. hæc poſuit verba.Quod Idem eſt,ac ſi dicerem, Sed hæc verba iterum non reperio in Adſertione mea,ſub Argumento V. Hic paucis reſpondeo ex Atro noſtro Comico,ſive ex Terentio. Væ,qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi! Tandem ironicè concludit: Nuſpiam DEUS prohibuit filiam ſororis defunctæ uxoris,niſi in Moſaicæ adſertionis phantaſiâ.

Reſpondeo.

DEUS verbis expreſſis prohibens duci amitam Levit. cap.XVIII. vers.14.ibidem per neceſſariam conſequentiam ſimul prohibet ſororis defunctæ uxoris filiam duci, propter propinquitatem,quæ eſt in utroque caſu una eademque Oſtendat Bucholzius differentiam in propinquitate, oſtendat caſum, cur eadem illa propinquitas prohibeat in primo caſu & quod ille vult, non prohibeat in altero caſu;Si poteſt,faciat,ſi non poteſt, taceat,& ex mente magni Melanchthonis judaizare ac nugari deſinat, quaſi tantum inter perſonas Levit.cap.XVIII.expreſſè nominatas,locum prohibitio habeat,ex quâ Adſertione multa ſequuntur abſurda,& ſi illa valeret,multæ inceſtæ permitterentur nuptiæ, quod celeberrimus D. Hafenrefferus ſupra monebat,una cum Chemnitio,judicioſiſſimo Theologo.

NUM. XXXI.

Tandem concludit Dn.Examinator his verbis.Satis de his,pergendum eſt ad ipſas Adſertionis conſiderationes plus quam Moſaicas.

Reſpondeo.

Satis quidem de his quinque argumentis meis Rhetoricatus eſt Dominus Cenſor,quod ipſi libentiſſimè concedo. Satis fuit verborum,ſatis depravationum,ſatis eorum,quæ mihi affinguntur,cum non ſint mea,nec in Adſertione mea reperiantur.Interim hæc mea argumenta,ſed quid dico argumenta,profectò ne unum quidem illorum confutavit Dn.Cenſor.Imò nervum ne quidem attigit.Videte ſultis.In Examine primi argumenti ex Levit.cap.XVIII.vers,16 nervus erat hic: Eadem propinquitas. quæ eſt inter fratrem ſuperſtitem,& defuncti fratris uxorem,eadem illa

propin-

propinquitas quoque eſt, inter ſororium & defunctæ uxoris ſororem. Ergo dum fratria prohibetur fratri ſuperſtiti, eâdem operâ per neceſſariam Conſequentiam, ſoror ſuperſtes prohibetur ſororio. Hoc argumentum non poteſt refutari, niſi prohibetur aliam eſſe propinquitatem in caſu priori, & rurſus aliam in caſu poſteriori. Aut ſi eadem propinquitas perſtat utrobique inconcuſſa, oſtendendum fuiſſet, cur eadem propinquitas prohibet fratriam fratri, & non prohibeat ſororium ſorori. Cur ibi prohibeat & hic concedat Idem. Neutrum autem hactenus probare potuit Dn. Bucholzius Secundum argumentum, urget textum Moſaicum originalem à Spiritu ſancto immediatè inſpiritum, juxta nativam ac Biblicam ſuam diſtinctionem, qui textus talis eſt in omnibus Bibliis heberinis

Et mulierem ad ſororem ejus non accipito, Athnach, Pauſa Hic ſuspenditur oratio ſive prohibitio, per Regem diſtinguentem Athnach, qui in omni verſu bimembri tanquam colon, primum membrum verſiculi diſterminet ab altero membro. Mille ſunt exempla in libris proſaicis. Imò ſemper hoc mihi fit. At hæc Moſis prohibitiò eſt univerſalis & abſolutè negans, & æquipollet huic

Nullus ſororius uxoris ſuæ ſororem accipiat. Hoc argumentum refutari non poteſt, niſi Dn. Bucholzius mutet diſtinctionem biblicam, niſi regem Athnach auferat à voce תקח thikkach, accipito, cumque protrudat ad vocem ſequentem לצרר Lizror ad laceſſendum. Hoc modo.

Et mulierem ad ſororem ejus non accipito ad laceſſendum. Athnach. Pauſa? Hæc prohibitio venditari poſſet pro quâdam limitata & reſtrictivâ prohibitione. Ad laceſſendum non accipies. Si autem poſt mortem uxoris tuæ eam acceperis, non accipis ad laceſſendum uxorem, cum mortua nequeat vexari aut laceſſi uxor. Ergò poſt mortem uxoris licitè duces ſororem ejus. Sic locum aliquem habere viderentur gloſſæ hæ Judaicæ, Rabbinicæ, ac jeſuiticæ, quibus, glutinis inſtar, adhæret Dn. Bucholzius. Sed talem, vel ſic diſtinctam Enunciationem aut prohibitionem limitatam, oſtendere non poteſt Dominus Examinator, etiamſi mille annos examinet, & ſe exanimet. Moſe enim contradicit, textus contradicit, Athnach contradicit, mille oculi teſtes ſunt, exempla plus millies contradicunt in textu genuino ac Heberino. Ergò Dn. Bucholz ſub verborum ſtrepitu occultat ſuum errorem, quem juvenis hebraicè doctus, ipſi oſtendere poteſt ſingulis momentis, quales mihi non ſunt ignoti, qui hæc intelligunt, viridioribus annis, qualem domi meæ habui filium octodecim annorum, Joachimum, nunc ἐν ἁγίοις, qui anatolicarum linguarum amore inardeſcebat, & hæc nullo capiebat negotio. Tertium argumentum urget,

meras prohibitiones in ſingulis Levit. cap. XVIII. verſiculis prominere. Non reteges, non nudabis, non accipito, idque propter verſum ſextum.

Nullus homo qualis qualis ille ad nimis propinquam accedat. *At ſoror* ſororio eſt nimis propinqua; quam propinquitatem oſtendi in primo argumento, ex verſu decimo ſexto citati capitis. Hoc etiam refutari non poteſt, niſi quis deſtruat illam propinquitatem in utroque caſu eandem eſſe, quam primum Argumentum urget. Nam quamdiu eadem illa propinquitas cubico inſiſtit pedi, tamdiu parit prohibitionem, nullam autem reſtrictivam admittit conceſſionem. Sed hanc probationem, Dn. Bucholzius ne minimo quidē digito movit, multò minus promovit, qui vel incolæ Lunæ, viderent, quos oculos habere exemptiles priſcæ credebant fabulæ.

Argumentum meum quartum hoc urget; Quidquid in Bibliis, ſive in ſcriptura ſacra canonicâ, non extat exſertis verbis, quodque per evidentem ac neceſſariam conſeqentiam è ſcriptura deduci nequit, id planè præteriit ſcriptura. Hanc autem conceſſionem; Quando uxor laceſſi non poteſt amplius, quando mortua eſt, tum ſororius ejus ſororem ducere poteſt; Hanc, inquam, conceſſionem exſertis verbis nullibi legi in ſcriptura, & per nullam neceſſariam conſequentiam deduci poſſe ex ſcriptura intrepidè affirmo. Ergò illam planè præteriit ſcriptura. Ergò illa planè non extat in ſcriptura, ſed eſt cerebri humani ſoboles, nudius tertius judaico enavigans ſpecu, cujus etiam contrariū evidenti ac neceſſaria conſequentia elicitur ex Levit. cap. XVIII. vers. 16. quod ex primo meo argumento ſatis patet. Dnus Bucholzius quoque verba ipſa nondum produxit in apricum, & quod mirū videtur, mihi pro neceſſaria conſequentia ac evidente, vendidit hactenus ſequelas Thalmudicās, Rabbinicas, judaicas, Jeſuiticas, quæ non ſunt evidentes, ſed inſipidæ, temerariæ ac periculoſæ, quippe ad inceſtum ducentes. Ergò & hic nihil refutavit.

Argumentum meum quintum urget locum Levit. cap. XVIII. vers. 14 ubi filio fratris prohibetur patrui uxor. At eadem illa propinquitas, quæ inter has perſonas matrimonium prohibet, eadem inquam illa, ſat altè radices egit inter ſororium & defunctæ uxoris ſororis filiam. Ergò ne quidem filiam illam ducere poteſt ſororius. Si autem filia ſororis ipſi eſt prohibita. Ergo multo magis ipſa ſoror ei prohibita eſt, quia arctior eſt illa propinquitas inter ſororium & defunctæ uxoris ſororem, quæ magis ſtringit, quam illa propinquitas, quæ ipſi intercedit cum ſororis illius filia. De propinquitate ipſâ hic loquor, nec opus eſt hic de gradibus diſſerere. Quid hic refutavit D. Bucholzius? Nihil! Varias tantum ſententias de altero caſu olim alicubi natas enarrat, Et delabitur tandem ad aliam quæſtionem de

gradibus

gradibus. Sed neutrum horum attingit ſcopum,utrumque liberè ſub verborum ſtrepitu extra oleas vagatur, iterque ingredi velle videtur jam in deſertum Jericho,jam in Arabiam ſiticulóſam. Hæc breviter & nervoſè tantum repeto,& lectori veritatis amanti,ideò quaſi in tabula id ôſtendo, ut videat,Dn.Examinatorem nihil hîc præſtitiſſe, qui hæc argumenta ironicè vocat talia qualia,idque in limine Cap.2.Sed rectè ſi propriè.Manſerunt enim talia,qualia fuerunt,nimirum illibata ac robuſta,& Syllogiſmis ſuis roborata.Addit Dn.Examinator, ſi ſuperis placet.Sed Syllogiſmi mei Logicorum regulis ex aſſe ſunt conformes, nec Cenſor ullum in forma lapſum accuſare audet,quibus præterea materiam ſuppeditavit immotum DEI verbum. Quidni igitur placerent ſuperis!

Pergendum eſt,inquit,Dn.Cenſor,ad caput ſecundum,vel ad ipſas Adſertionis conſiderationes plusquam Moſaicas.

Reſpondeo.

Ut Moſen rectè intelligamus,accedat jam altera explicatio verſiculi inter nos controverſi,Levit.cap.XVIII.vers.18.quæ etiam orthodoxa eſt, & quidem celeberrimorum Theologorum,qui in Orientalibus linguis excelluerunt, D. Haffenrefferi. D,Pauli Tarnovii.D.Iohannis Tarnovii.D. Hornbecii Bezæ, & magnorum Philologorum Anatolicorum Fr. Junii,& Immanuelis Tremellii.Hi ſupra oſtenderunt ex ipſâ ſcriptura, ex ſtylo ſpiritus ſancti verba Moſis Veiſchah & achotah ואשה אל אחתה non poſſe hic verti aliter , quam ita. *Et mulierem unam ad alteram non aſſumito.*Non igitur agi hoc verſu de uxoris ſorore,quæ jam ante ſororio prohibita eſt,verſu præcedente decimo ſexto.Sed hic de polygamia loqui Moſen,nequis duas ſimul ducat uxores. Vocabulum ſororis hoc loco nonnotare ſororem propriè dictam, ſed *j*uxta Idiotismum linguæ heberinæ , tot exemplis Biblicis ſupra probatum,& in ſcriptura ſacra frequentatum, & ſatis elegantem,idem eſſe,ac ſi dicatur ; neduc unam ad alteram ; Hujus verſionis mentionem feci in Gamol,pag.401.402.dixi obſtare videri unicum, quod vox ſoror videatur retinenda in ſignificatione propria.Non enim videri volebam,acſi novitati ſtuderem,ſed ut apertè dicam , quod ſentio. Hæc verſio & expoſitio hujus verſiculi mihi ſemper viſa eſt ſcripturæ magis Congrua,genuina, miniméque coacta,& rationibus ſolidisſimis ſuffulta, quas Dn.D. Bucholzius nondum libavit. Stante hâc explicatione,Dn.Cenſor totum hunc verſiculum planè amittit,cum toto,quod in illo quærebat præſidio.Ita enim armamentarium cum omni milite evolat ad Lunæ Incolas.Stante orthodoxâ hâc explicatione de Polygamia, quam Dn.Bucholzius ſuis armis nunquam everteet, illicò,& quidem neceſſariò

ceſſariò cadent omnes Rabbinicæ & jeſuiticæ gloſſæ ac ſequelæ. Cadet Dn. Bucholzi prohibitio reſtrictiva, limitativa, diſpoſitiva cum argumento ſuo à contrario, & cum tota ſuâ ſemente, quam fecit in cœruleis Neptuni campis. Nam, ſiquando de uxoris ſorore planè non loquitur hic verſus, quis matrimonium inter ſororium & uxoris ſororem hinc probabit? Hic Theologorum paries unicus, totum librum Bucholzii, univerſum Examen Examinatoris, in quantum de hac quæſtione diſputare judaicè conatur, cui biennium & amplius impendit, deſtruet, & funditus tollet. Fruſtra igitur chartam impenderem, ſi quando ineptiſſima illa, quæ in cæteris capitibus hujus examinis ſequuntur de hâc controverſia, ubi eædem ferè inſtantiæ ter, quater, ſæpè quinquies ac decies repetuntur, accuratè hic vellem confutare. Quilibet enim videt, Dn. Bucholzium non poſſe ſententiam ſive explicationem ſuam tertiam, quæ erat judaica ac Jeſuitica, cui ſuum adjecit calculum, probè defendere, niſi duas haſce ſententias & orthodoxas explicationes celeberrimorum Theologorum jam ante proſtraverit, quod nondum fecit, nec porrò facturus eſt, etiamſi vixerit ad ultimum usque Mundi nutantis pyriſmum. Quamdiu enim fundamenta alicujus ſententiæ confutari ſolidè non poſſunt, tamdiu illibata, & in veritate ſua coruſcans ſtat ſententia ipſa. Tamdiu igitur expectabo, donec Dn. Cenſor illa omnia, quæ hic ipſi oppono, confutet, ſed ſolidè, accuratè, ſine circuitione, ſophiſticatione, ſive inani verborum ſtrepitu, ſed ita, ne mihi quod meum non eſt, affingat ac ſi ſit meum, ne à ſcopo aliena perſequatur, nec in vepreta ſe abdat, quando ad rem reſpondendum erat, hoc ſi fecerit, me inveniet Reſpondentem, ac veritatis divinæ defenſorem promptum ac modeſtum. Interim oſtendam benevolo Lectori, ſed paucis, quam infelix ſit diſputator noſter Dn. Bucholzius, quamdiu orthodoxas expoſitiones Theologorum noſtrorum alto ſupercilio contemnit, & ſe aliis oculatiorem thraſonicè oſtentat, cum hac proteſtatione, me hâc vice tantum fontem ac nervum reſponſionum ac refutationum dilucidè oſtenſurum, cum hac promiſſione, ſi DEUS me ſoſpitet, & ſi res ipſa poſtulet, quod fuſius ſim confutaturus nihili inſtantias & exceptiunculas, ſi quas habet Cenſor ſive jam conceptas, ſive concipiendas contra orthodoxam Eccleſiarum noſtrarum ſententiam, idque uno atque altero quaternione.

CAPUT II.

Conſiderat caput quintum, membrum primum aſſertionis mihi oppoſitæ, quod argumenta mea examinare allaborat.

Aſſertio. NUM. I.

Hic operis ſui libro 2. tit. 5. ſub n. 8. ponit regulam; Prohiberi ducere ſororem

rem uxoris. Hanc prohibitionem dicit eſſe luculentam; verba autem ſequentia ad affigendam eam, & dum adhuc in vivis eſt, putat non firmare hoc argumentum; Ergo mortua uxore duces. Quia argumentum à ſenſu contrario deductum podagricis inſiſtat pedibus, & abſurda multa pariat, cum primis, quando illicitũ quid prohibetur. Ponit exemplum: Si pater dixerit filio; Quamdiu vixero, mi fili, ne me affligas, ideò cave tibi à furto & ſcortatione. Inde non poſſe argum: Ergo mortuo patre licere filio furari, ſcortari, ſed ita argumentantem irriſui fore pueris. Rationem addit. Ex eo enim, quod ſcriptum eſt, non temerè colligendum, quod ſcriptum non eſt, præcipuè ſi id quod colligitur, ad abſurda divertat, vel ſi ejus contrariũ alibi ex legibus oſtendi poſſit, tanquam illicitum & interdictum. Verùm quam aliene & impertinenter ille ſermocinetur, id facilè patet ex eo, quod generalis, & illimitata ipſius regula, non poteſt duci ſoror uxoris, planè non ſit luculenta, cum hac prohibitio nullibi, niſi in hoc unico textu Moſis, at non generaliter, aut purè, ſed ſub expreſſa reſtrictione & limitatione, donec uxor vixerit, ſit propoſita. Si quis itaque textum calumniari non velit, certe non unam ejus particulam, ſed totam ſeriem integrè recenſere, & ex ea argumentum ducere debet. Quod autem evidenter ſequatur; Prohibeor tantum expreſsè viventis uxoris ſororem ducere? Ergo non prohibeor expreſſe defunctæ uxoris ſororem ducere. Id forte Philoſophorum, qui recte ratiocinari didicêre nemo hactenus negavit, cum uno contradicentium & contrariorum poſito, alterum remotum cenſeatur, uti hoc in reſponſo noſtro firmis rationibus ſtabilitum adverſarius ſicco pede prætergreſſus eſt. Satis quidem à nobis conceſſum eſt, hoc argumenti genus vacillare, ubi periculum eſt abſurditatis & peccati: Sed hoc in præſente caſu à nobis negatum, nulla ratione ex adverſo probatum eſt, ideoque ſub petitione principii jacens hoc argumentum ſuo loco eſt relinquendum; Exemplum patris, ſilio furtum & ſcortationem, ſe vivente patrare prohibentis puerorum irriſui verè ſubjacet: Hæc enim & alia ejusmodi vitia, ipſum jus naturale, & recta ratio prohibet, tam defuncto, quam ſuperſtite parente committi, ideoque in tali exemplo plane ceſſat argumentum à ſenſu contrario. At verò in noſtro matrimonii caſu nulla prohibitio ſeu generalis, ſeu ſpecialis, ſeu poſitivi divini, ſeu naturalis juris exiſtit, quin potius ante legem Moſis conditam duas ſimul ſorores extra peccatum duci potuiſſe, ipſe Antagoniſta fatebitur, ſi hiſtoriam Iſraelis, viri ſe & nobis procul dubio longe ſanctioris, non vocaverit in dubium. Itaque hoc adverſarii argumentum à ſimili deſumptum, propter enormem diſſimilitudinem utroque podagrico pede claudicat, uti deductum in caſu alio Reſponſi noſtri num. 359. Seqq. Ponat autem adverſarius exemplum magis ſimile, & accommodum in patre filio ſuo immorigero aut ſcortatori dicente. Quam diu ego vixero, tu nihil accipies ex

bonis meis:numquid ex eo inferri non poteſt,hunc filium non eſſe poſt mortem patris excluſum ab hæreditate paterna.

Conſideratio.

Prohiberi uxoris ſororem. Hanc regulam pono,quia Moſes eam poſuit Levit.c.18.v,18,De argumento à contrario ſenſu.Non duces uxoris tuæ ſororem,dum affligi poteſt,dum in vivis eſt.Ergo tibi eam ducere licebit,quando uxor tua mortua eſt,& ſic in hac vita affligi amplius nequit. Rectè dixi,hanc argumentationem hoc in loco podagricis inſiſtere pedibus.Illud illuſtro hoc exemplo Micali,filiæ Saulis non eſt natus filius,dum in vivis fuit,2.Sam.c,7.v.23. Ergo Micali filiæ Saulis natus eſt filius quando in vivis eſſe deſiit.Non peperit in vita,ergo peperit poſt mortem.Itane?Addo,hanc argumẽtationem eo magis nutare,quando id quod ejus adminiculo colligitur,illicitum eſt. Et quando is qui in rebus divinis & Theologicis illud colligere audet, quod Deus nuſpiam dixit,nec ex ſacris literis per neceſſariam conſequentiam,unquam erui poteſt.Quid contra hæc aſſertio;(I)dicit me alienè ſermocinari.Generalem & illimitatam regulam nemo ducet uxoris ſororem, nullibi,niſi in unico textu Moſis,ſcilicet Levit. c.18.v.18.non generaliter & purè, ſed ſub expreſſa limitatione, donec uxor vixerit,eſſe propoſitam.At ſupra oſtendi contrarium ex ipſo originali textu biblico,ex quo ſolo in dubiis firma producuntur argumenta. Quandoquidem præter res ipſa etiam verba inſpiravit Spiritus ſanctus Eſai.cap.LI.cap.LIX.2.Pet.c.1. Quod de verſione nulla dici poteſt. Nimirum oſtendi è textu ad oculum ibidem ſtabulari enuntiationem univerſaliter & purè negantem.

Et mulierem ad uxorem ejus non aſſumito. Pauſa. Athnach! Nullo modo fiet!Simpliciter prohibetur!ut pater,mater.v.7.ut noverca.v.8.ut patruus v.14.ut Nurus v.15. & ſic in cæteris.Ergo Carthaginis altæ fundamenta cadunt; — — — ruit.alto à culmine Troja.Profectò reſtrictiva illa,quam aſſertio urget,nō duces uxoris ſororem, donec uxor vixerit,nulla eſt.Hoc enim verborum nexu,illud nuſpiam extat in Moſe.Audax illa eſt,dum verba transponit,dum notabilem pauſam Athnach , & ſic genuinam verborum diſtinctionem non annotat,ſed omnia conglomerat & perturbat,quod ſupra evici argumento II.quo remitto, quodque tunc ſolidè refutatam iri puto,quando

Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.

2.Pergit aſſertio.Qui textum calumniari nolit,non unam ejus particulam, ſed totam ſeriem integrè recenſere,& ex ea argumentum ducere debet, Verùm aliud eſt,totam orationis ſeriem recenſere.Et rurſus aliud eſt,totā orationem

orationem confuſè recenſere, omnemque interpunctionem ſive diſtinctionem negligere. Qui indiſtinctè recenſet, is textum perturbat, (neſcio an calumnietur) qui autem rectè diſtinguit, is genuinam ſeriem, ſenſum ac mentem textus retinet; qui non diſtinguit textum, is è textu forſan lepidè ac tepidè argumentari poteſt, firmiter ex illo argumentari non poteſt. Totam ſeriem orationis hujus integrè recenſeo, quam non nemo ſic chartæ propria illeviſſe dicitur mannu:

Regem occidere nolite timere vos decet quod ſi conſenſeritis ego non diſſentio.

Eliciat mihi quiſpiam ex hac tota ſerie unicum argumentum, quo ſolidè probet, conſenſiſſe ita ſcribentem in necem Regis. Vel oſtendat mihi argumentum, quo probetur non conſenſiſſe in necem Regis. Ex tota hac ſerie præſtolabor hujus indolis argumentum, quod Ego ex tali oratione exprimere nondum didici. Davus heic ſum, non œdipus(3.) Porrò opponitur. Evidenter ſequi, prohibeor tantum expreſſè, viventis uxoris ſororem ducere. Ergo non prohibeor expreſſè defunctæ ſororis uxorem ducere. Nullum Philoſophum hoc negaſſe, cum uno contradicentium & contrariorum poſito, alterum remotum cenſeatur; & hoc in reſponſo juris firmis rationibus ſtabilitum eſſe, quod adverſarius ſicco pede prætergreſſus eſt. Quare autem nonnulla præterierim in reſponſo Juridico, id jam ante dixi apertè, in Gamologia pag. 410. Calebat liber hic meus ſub prælo, & ſerius ad me perveniebat iſtud reſponſum juris, cujus aliquot folia tantum libare volebam celeri oculo, principaliora attingere, ad cœtera autem me non demittere animus erat, eo ſe non extendebat intentionis meæ meta Gamol. Pag. 422. Non ergo præterii aliquid, ut fucum facerem, vel, quod irrefutabile quid reperirem. Abſit! Jam ad rem, ut nihil prætercam. Prohibeor tantum expreſsè viventis uxoris ſororem ducere, inquit adſertio. Sed hoc eſt, quod nego, talis enunciatio non extat in toto Moſe, ſed ex præconcepta opinione, ex neglecta luculenta actu xtuali diſtinctione, ex audaci verborum translocatione, & ſaltu nata eſt hæc adſertio, quod ſupra oſtendi. Sed pono extare illam, tunc gigneret enunciationem particularem, huic æquipollentem. Quidam ſororius non ducet uxoris ſuæ ſororem. Nimirum ille, cujus uxor vivit. Huic autem non niſi ſubcontrariè juxta decreta logicorum opponitur hæc. Quidam ſororius ducet uxoris ſororē, ſc. cujus uxor vivere deſiit. Hæ enunciationes nec contradictoriè, nec cōtrariè opponūtur, quod Logici nōrunt. Quidā ſororius nō ducet ſororē. Ergo, quidam ſororius ducet ſororem. Hæc argumentatio enititur concluſionem, quæ in tota ſcriptura non extat, neu κατὰ ῥῆμα, neu κατὰ

 πρᾶγμα

Ægre fert Dn. Examinator, quod [illegible] fratrem ſuperſtitem ac ſ[illegible], inter ſororium & [illegible] uxoris ſororem unam eandemque [illegible] affinitatem, ex [illegible] ortam, cum Theologis ac J. Ctis clariſſimis intercedere [illegible], nihilque opponit hoc [illegible] Syllogiſmū, qui vix oſſibus [illegible] ſcum al[illegible] [illegible]. Cujus Major hæc erat. Quæ [illegible] non invenitur [illegible] [illegible] ſub eadem verborum [illegible] eſt non recta. Jam ſubſumit. Sororii [illegible] propoſitio. Ergo eſt inepta & non recta, (tutum tormo[illegible].)

Reſpon-

Reſpondeo.

Majorem ſuo more Dn. Cenſor mihi affingit. Rogo hic D. Bucholzium, ut veritati adſveſcat, & affingere dediſcat, ſecus ſi fecerit, nullam imposterum à me impetrabit reſponſionem, ſed aliâ viâ rem aggredi in proclivi erit. Hoc eſt quod ſcripſi Quicquid nec expreſſis verbis cavetur in ſcriptura, nec per evidentem ac neceſſariam conſequentiam elici poteſt ex ſcriptura, illud eſt ineptum, Dn. Examinator ait, non rectum. Hoc ipſo ſtatim corruit Examinatoris Syllogiſmus puerilis, cujus majorem ſtudioſus in minorum gentium ſcholis ex Catecheſi Theodorici falſitatis & imperfectionis convincere didicit.

NUM. XXXI.

Moſen dicere, mulierem eſſe nuditatem viri, ait Cenſor.

Reſpondeo.

Si ita. Fratria nudata eſt à fratre defuncto. Ergo tu frater ſuperſtes non duces illam propter propinquitatem ſive affinitatem, ex illa denudatione ſive congreſſu maritali natam. Ita & hic; Tu ſuperſtes ſororem non nubes ſororio, quia ſoror tua eſt nuditas ſororii tui, hoc eſt. Soror tua nudata eſt à ſororio. & ex illa denudatione nata eſt eadem affinitas prohibens, quæ per retectionem naſcebatur inter fratriam & fratrem viventem. Hic videt Dominus Examinator, quod ſuis præſtigiis nihil efficiat. Qualis ſequela! Fratria eſt nudata à fratre defuncto. Ergo frater defunctus non nudavit illam. Ad Anticyras!

NUM. XXXIII.

Colligit Dn. Cenſor. Ego non debeo retegere conſobrinam. Quia eſt nuditas avi mei Levit. cap XVIII. verſ. 10

Reſpondeo.

Argumentatio hæc à baculo ad angulum fertur. En Mi Dne. Examinator. Eſtne inter te & conſobrinam tuam ulla talis propinquitas ſive affinitas prohibens matrimonium, qualis erat inter fratrem & fratriam, inter ſororium & uxoris defunctæ ſororem? Nunquam oſtendes illam! Cur tu igitur tam aliene ſermocinaris? Quid avus & neptis in linea recta ad hunc noſtrum caſum? Heterogenea illa ſunt, & ad palliandam miſeriam lubricæ *[illegible] Judæo*-Rabbinicæ huc detorta.

NUM. XXXV.

Fratria, ſi quis debet retegere nuditatem fratris mariti ſine prole defuncti. Ergò ſororem ſororii, ſi ſit abſque prole. Nemo mihi hanc illatio-

 nem

nem concedit. Ergò non teneor illationes adverſarii eadem ratione nitentes concedere.

Reſpondeo.

Illatio Dn. Examinatoris, nullum habet in ſcriptura fundamentum, quod ſoror nubere debeat ſororio, ſi ejus uxor ſine prole deceſſerit. Meæ autem illationes ex ſcriptura fluunt, quod videt quilibet, qui mea attentè legit & expreſſum divinum mandatum Deut. c. XXV. v. 5. facile obſervat.

NUM. XXXVII.

Moſe hanc rationem de nudatione inter ſororium & uxorem non addit. Ergò illam rationem non vult ibidem addi. Levit. cap. XXVIII. v. 18.

Reſpondeo.

Non addit hanc rationem, v. 18. quia de uxoris ſorore hoc verſu non agit, ſed de polygamia. Et, ſi de uxoris ſorore ibi ageret, rationem hanc addidit verſu ſexto, quæ ad omnes prohibitiones ſpectat, videlicet: Ad proximam carnis nemo accedet. Cætera usque ad num. 40 nullius ſunt momenti. At lubens ſcirem, dum maritus nudat uxorem ſuam, annon eodem actu uxor nudetur à viro, & annon actu tum ſequatur affinitas ex illa retectione? Quis negabit tam luculentam auroram?

NUM. XLI. XLII. XLIII.

Quæ his numeris leguntur, nil faciunt ad rhombum. Quando autem numero 43 diſſerit Dn. Cenſor de relatione, miſerè diſſerit. Cum relatio hic non ſit cauſa prohibitionis, ſed affinitas arctior v. 6. & v. 16. in caſu utroque tam fratris & fratriæ, quàm ſororii & uxoris ſororis. Mitto igitur hæc inſipida, donec ſal ſapientiæ accipiant, & ſapere diſcant.

NUM. XLIV.

Vir non poteſt ducere ſororem uxoris viventis. Si hæc propoſitio vera eſt, inquit Dn Examinator, cur eam negat adſertio? Si falſa, ſequitur hanc eſſe veram. Vir poteſt ducere ſororem uxoris viventis, quæ tamen falſiſſima.

Reſpondeo.

Puerilis labyrinthus! Nulla ſoror nubet ſororio. Hæc eſt illa propoſitio, quæ æquipollet huic propoſitioni Moſis Et mulierem ad ſororem ejus non accipito. Utraque eſt univerſalis negans. Qui nullam accipiet uxoris ſororem, is non accipiet ſororem uxoris viventis, nec ſororem uxoris defunctæ, ſoror enim uxoris eſt & manet ejus ſoror, ſive vivat, ſive moriatur uxor. Utraque igitur propoſitio falſa eſt, non tantum poſterior, quam affirmat Cenſor ſed & prior, quia prohibitio Moſaica ſimpliciter

prohi-

prohibet, nullumque reſpectum ſive vitæ ſive mortis involvit. Imò juxtà Idiotiſmum linguæ ſanctæ, verſus. 18. de ſorore propriè dicta non agit, ſed de Polygamia. Pergit Cenſor, & dicit evictum eſſe, hanc propoſitionem extare in Moſe: Vir non poteſt ducere ſororem uxoris viventis.

Reſpondeo.

Rogo Erubeſcat hoc toties aſſerere, contra ocularem demonſtrationem, contra diſtinctionem Biblicam, contra cohærentiam verborum, quæ talis non reperitur in textu hebræo. Et quid hoc? Planè non agitur de ſorore in illo verſu, quod ſecunda ſententia orthodoxa probavit. Notetur quoque, quod Dominus Cenſor in fine hujus numeri, fundamenta mea recenſet, non autem refutat, ſed ita elabitur, ſingula eſſe exſtirpata. Sed ubi? Forſā in ſplendidâ republicâ Lunæ. Quibus verbis, quâ pagina. Sic remittit huc illuc, non audet accedere ad ignem hunc veritatis radiantis, ne digito adurat Dn. Cenſor.

NUM. XLV. XLVI.

Concedit Dn. Examinator identitatem gradûs ſive eandem propinquitatem ſive affinitatem, inter fratrem & fratriam, inter ſororium & ſororem uxoris.

Reſpondeo.

Utiliter accepto hanc conceſſionem, quam urgeo, dum dico, utrumque matrimonium in eundem gradum prohibitum impingere, ſive in eandem affinitatem prohibitam. Ergò ſtat argumentum meum primum, ſed & eadem prohibens affinitas, quemadmodum prohibet in primo caſu fratriam, ſic etiam in altero caſu prohibet ſororio uxoris defunctæ ſororem. Notetur autem, hoc mihi affingi, ac ſi dicerem: Reſponſum Juris ſtatuit diverſitatem in caſibus recenſitis, idque facit ex hac cauſa, quia fratria eſt fœmina, ſororius eſt mas. Legantur ſupra in Adſertione Moſis, mea verba, quæ ſic incipiunt, Ego ſcio fratriam fœminam eſſe &c. De me loquor, non de Reſponſo Juris. Sed hiſce falſis ſe oblectat Dn. Examinator, quæ tamen tàm ſunt prominula, ut à quolibet obſerventur æquè facilè, ac maculæ Lunæ in humilimis cœli anfractibus ſatis celeriter ambulantis.

NUM. XLVIII. XLIX.

Hic Surgit novus Syllogiſmus, qui ibidem legi poteſt. Nimirum hic: Quos matrimonii caſus Moſes non ſub eadem forma prohibuit, illius non ſunt planè ſimiles ratione prohibitionis. Atqui hoc non fecit, in caſibus circa fratrem & fratriam ſororium & uxoris ſororem. Ergo!

 Reſpon-

Reſpondeo.

Major eſt falſa, idque ex Levit. cap. XVIII vers. 16. Quo uno verſu prohibetur, & fratria fratri expreſſis verbis, & ſororio uxoris ſoror per neceſſariam & evidentem conſequentiam. Videlicet propter eandem cauſam, eandem affinitatem, quæ nidulatur in utroque caſu. Prohibitio unius eſt prohibitio alterius. Videt hic Dn. Examinator modò oculos mentis aperiat, (ſunt ipſius verba) quam alienè & extra rhombum jam ſermocinetur. Unus eſt verſus, una affinitas, de qua verſus loquitur, una prohibitio, quâ una eademque illa propinquitas in utroque prohibetur caſu. Interim inſtat Dn. Cenſor, illi caſus non ſunt ſimiles ratione prohibitionis. Quia fratria ſub pœna prohibetur Levit. cap. XX. vers. 21. Uxoris defunctæ ſoror nullibi ſub pœna prohibetur ſororio.

Reſpondeo.

Hic debebat Dn. Cenſor diſtinguere, inter ipſam prohibitionem, quæ una eademque eſt Levit. cap. XVIII. in verſu decimo ſexto, quæque ſe extendit ad utrumque caſum de non ducenda fratria, & de non ducenda uxoris ſorore, propter unã eademq; in utroq; caſu cauſã, ſive propinquitatem, & inter acceſſoriũ, quod eſt pœna, ibi addita, hic non addita, hoc autẽ acceſſoriũ & adventitiũ, ſive conſequens, quod dum ipſã prohibitionem intrinſecè non ingreditur, nec ullam infert diſſimilitudinem inter caſus ipſos, multo minus ſeparatos facit matrimonii caſus, ut loquitur *Dn.* Cenſor, hoc numero. Hoc ipſi monſtravi ſupra in Adſert. Reſponſi Moſis ex Levit. cap. XVIII, v. 16. ubi fratria prohibetur, & quidem abſque additâ pœnâ. Et Levit. cap. xx. v. 21. Ubi fratria prohibetur, ſed hic cum additâ pœna. Quis, niſi planè deſipiat, hinc concluderet. Ergò hic eſt diverſitas inter caſus de fratria non ducenda Levit. cap. xviii. verſ. 16. & de fratria non ducenda Levit. cap. xx. verſu 21. & naſcuntur hic ſeparati vel diſſimiles caſus matrimonii. Luculentè falſum hoc eſt & abſurdum. Unus enim eſt utrobique caſus, de non ducenda fratria. Hoc examinare debebat Dn. Examinator. Sed quid ille? Suo more thraſonicè reprehendit, me extra rhombum ſermocinari, miras illationes affingere. Cum benevolus lector hic videat contrarium ſub hoc numero, me ex eodem Examinatoris fundamento hic concludere me idem dicere quod dicit & urget Examinator, de pœna addita & non addita, ex quo tamen falſum eſſe probo, idque ex textibus jam citatis, Pœnam aliquando additam, & aliquando non additam, ſtatim inferre in ipſis caſibus diſſimilitudinem ſive diverſitatem. Quod refutare non poteſt Examinator.

NUM. L.

Pergit. Ejusdem, inquit, farinæ eſt alterum adſertionis figmentum, quo nos ita colligere fingit. Pœna dictatur ducenti fratriam. Pœna non dictatur ducenti uxoris ſororem. Ergò hi quoad gradum ſunt diverſi caſus. Nos non didicimus talem Logicam, qualem Adſertio Moſis, quæ in tertiâ figurâ minorem negantem, & in concluſionem alios terminos ponit, quorum in præmiſſis nulla facta eſt mentio. Abeat Adſertio ad ſcholam, ubi falſos ſyllogiſmos fingere virtus eſt.

Reſpondeo.

Hic Dn. Examinator iterum animum affert valde ſedatum, nec calamus hic mordax eſt. Quod igitur ſupra promiſit, hic ſervat fideliter. Sed mitto iſta aculeata. Ad rem. Reſponſum Juris ſic differit num. 346. 347. Hos caſus ſimiles eſſe negamus, quia eorum diverſæ poſſunt dari rationes, inter quas prima eſt, quod Deus per Moiſen certam pœnam conſtituit fratris uxorem ducenti, his verbis: Quiſquis acceperit uxorem fratris ſui, res exterminanda eſt, nuditatem fratris ſui retexit, ſine liberis ſunto. Levit. cap. XX. verſ. 21. Quæ pœna, ne quidem duas ſorores ſimul ducenti conſtituta eſt, multò minus, qui defunctæ uxoris ſororem duxerit. Hæc ſunt verba reſponſi Juris. Hoc argumentum candidè repeto in Adſertione Reſponſi Moſis, quod ſi Lector ibi leget, ſupra num. 6. videbit apertè, quod hic non ſit ſyllogiſmus tertiæ figuræ in conſilio Juris. Nec ego loquor de Syllogiſmo in meâ adſertione num. 6. Oculi ſunt teſtes. Nec ſyllogiſticè colligo num. 7. ſed liberè colligo, uti Conſilium Juris extra formam fecerat. Oculos in teſtimonium iterum adſciſco. Rogo igitur Bucholzium, deſinat tam craſſè falſis & tam impiè mihi affingendo me macerare, & ſeipſum ludibrio exponere, qui dum ad rem reſpondere non didicit, quidquid vult, mihi liberè affingit. Obſervet Lector. Conſilium Juris ſimpliciter dicit: Hos caſus (nimirum de fratria & uxoris defunctæ ſorore) ſimiles eſſe negamus. Rationem hanc addit. Fratriam enim ducenti pœna conſtituta eſt. Deut. cap. XX. verſ. 21. Ad illa pœna non eſt conſtituta ducenti uxoris defunctæ ſororem. Ego eodem argumento utor, & ſicut Reſponſum Juris fecerat, extra Syllogiſmum in Adſert. mea num. 7. per deductionem ad abſurdum probo, quod malè argumentetur Reſponſum Juris, dum diſſimilitudinem horum caſuum, ex pœna uni caſui adjecta, alteri autem non adjecta, probare allaborat. Caſus dico, de fratria non ducenda, extat Levit. cap. XVIII. verſ. 16. ſed abſque adjecta pœna. At caſus idem ille Levit. cap. XX. verſ. 21. iterum extat cum adjecta pœna. Ergo juxta argumentationem Reſponſi Juris, caſus de fratria non ducenda Le-

vit.cap.XVIII. ſine pœna,& Levit.cap.XX. cum pœna prohibitus,ſibi eſt diſſimilis. Idem ille differt à ſe ipſo quemadmodum domum rediens Soſia apud Umbrum piſtorem. Ubi Soſia miratur ſe non eſſe Soſiam. Quod planè abſurdum eſt. Hic autem nulla eſt negatio in ulla enunciatione à me poſita. Hicquoq; de Syllogiſmo nulla fit mentio. Abeat igitur examen ad Scholã & ad rem reſpondere diſcat.Ita nõ opus erit hiſce falſis immorari ſi quando candidè agere Dn.Cenſor didicerit. De terminis hoc addo. Reſponſum Juris ſimpliciter dicit,caſus hos ſimiles eſſe negamus. Bucholzius in Examine num.48.novum emplaſtrum quærit, & dicit; Reſponſum Juris adſerere, hos caſus non eſſe planè ſimiles ratione prohibitionis,non enim ſub eadem pœna prohibentur. Sed terminum ratione prohibitionis,in Reſponſo Juris hic non reperiet. Ergo iterum fallit. En! Adulterium alicubi capitali pœnâ punitur. Alicubi pœnâ tantum pecuniaria. Ergo eſt diverſitas & diſſimilitudo inter adulteria ip ſa propter diverſitatem pœnæ. Satis feſtivè: Sed & hac ratione unus ille caſus de fratria non ducenda, ſibi ipſi diſſimilis erit, quia non extat ſub eadem pœna Levit cap.XVIII.v.16.ſub qua extat cap. XX.verſ.5.quod jam probavi. Ego non addidi eſſe diverſos caſus,quoad gradum ſive propinquitatem in Adſert.meâ numero 7. Id autem concedere cogitur Examinator num. 46. idque exſertis verbis. Videat igitur nunc,quomodo inter illos caſus matrimoniales fingi poſſit diverſitas aut diſſimilitudo inter quos una eademque propinquitas locum invenit. Unitas enim & Identitas, qua talis, non ponit diverſitatem & diſſimilitudinem, ſed negat illam ac tollit luculentè. Pœna etiam eſt externum conſequens, quod caſuum matrimonialium eandem propinquitatem ponentium,diſſimilitudinem inferre nequit.Sed hæc ad ſcholam Bucholzii, cum Syllogiſmo tertiæ figuræ irreperto ablegata ſunto,ubi majori diligentia artem candidè diſputandi addiſcet noſter Cenſor:

> Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum,
> Hæc eadem ut ſciret,quid non faciebat Amyntas.

NUM. LI.

Dicit Dn.Examinator, ſecunda ratio diverſitatis ita colligitur in Reſponſo noſtro num.348.

Reſpondeo.

Verum enimvero, relabitur iterum hic ad diverſas rationes prohibitionis,de qua tamen Reſponſum Juris non agit hoc numero,ſed de nuditate. Sic Examinator omnia peſſimè confundit & miſcet. Jam currit in Apogæo,jam in Pærigeo.

NUM. LIII.

Dicit (fratria eſt nuditas fratris tui) per nuditatem intelligi pudenda, id eſt, actum conjugalem.

Reſpondeo.

Si pudenda notant actum conjugalem, auris etiam ſignificat actum auditus, & oculus, actum viſus, & ſic audiunt ſurdi, quia aures habent, & vident cœci, quia oculos habent. Et ſic actus conjugalis locum habet fortè, per aliquam metonomyam utopicam in virginibus & juvenibus caſtè viventibus. In Adſertione ſua dicebat Examinator, per nuditatem pudenda intelligi, jam addit, per nuditatem præterea intelligi actum conjugalem hæc erit ſecunda vocis ſignificatio Lexicographis non ſatis nota. Forſan tertia ſignificatio ſequetur adhuc, quod per me licebit. Pergit, actum conjugalem locum non habere, inter ſorores. Profectò, nihil hactenus dixit Examen, quod tàm fuit verum atque hoc eſt. Pergit. Adſertio reſpondet, vocabulum nuditas non denotare vocem incomplexam, ſed orationem compoſitam.

Reſpondeo.

Hic video iterum mihi affing, quod oculi docebunt. Legantur verba mea, ſupra in Adſert. mea numero 8. ubi ſic diſſero. Fratria eſt nuditas fratris tui. Hanc orationem, dico malè explicari à Bucholzio, *pudenda ſunt.* Hoc pervertit hic planè hoc modo, quaſi ſcribam. Nuditas denotat orationem compoſitam, ſed inverte. Tota hæc oratio; Fratria eſt nuditas fratris tui, non poteſt exponi per terminum incomplexum. Pudenda ſunt. Quisquiliæ! Pruritus fallendi!

NUM. LIV.

Scribit, ſoror non eſt nuditas ſororis defunctæ.

Reſpondeo.

Non inveniet hoc in ſcriptis meis, cur ergò tàm prodigioſè falſa hic noſter Examinator allegat? Pergit. Adſertio inſtat, Sororius eſt nuditas uxoris defunctæ. Sed hac phraſi non utitur Moſe, maritus eſt nuditas uxoris. Quod porrò dicit Adſertio de nata affinitate, illa non eſt cauſa neceſſaria prohibitionis.

Reſpondeo.

Legitur Adſertio mea. num. 9. Sororius dico, eſt nuditas ſororis tuæ, hoc eſt, ſororius retexit illam, nudavit illam, cum ea conſuevit, ex hac retectione nata eſt affinitas, qualis erat inter fratrem & fratriam. Illa autem

affinitas prohibet tibi ſorori, ſororium tuum, ſicut prohibebat fratriam relictam fratri. Sororius eſt nuditas illius ſororis, quam habuit uxorem. Aut verum hoc eſt aut falſum. Si falſum eſt, dicat Examinator, quomodo ſoror defuncta uxor eſſe potuerit ſine denudatione, quomodo proximitas ſive affinitas ſine retectione fingi poterit? Abſurdiſſima abſurda ſunt! Si autem verum eſt quod ſcripſi, cur allatrat veritatem? Expediat ſe, ſi poteſt, At inſtat, Moſe non dicit maritus eſt nuditas uxoris. Optumè! Accipe illicò phraſin Moſis. O ſoror ſuperſtes, non nubes ſororio tuo. Quia ſoror tua nuditas eſt ſororii. En! Res eodem recidit. At mî Bucholzi, ſoror defuncta eſt nuditas ſororii. Iſtud eſt. Soror defuncta nudata eſt à ſororio, Hanc explicationem negare non potuiſti. Dic ſódes. Quando ſoror nudata eſt à ſororio, annon eodem actu ſororius nudaverit illam? Veritatis fulgor te coget concedere, verum hoc eſſe. Ergò, quando Moſe dicebat. Fratria eſt nuditas fratris tuì, hoc eſt, nudata eſt à fratre tuò, tunc ſimul dicebat Moſe. Frater tuus defunctus nudavit fratriam. Ergò perinde eſt, ſive dicam ſororius nudavit ſororem tuam defunctam, quam habuit uxorem, ſive dicam, ſoror tua defuncta nudata eſt à ſororio. Sed hoc non extat in ſcriptura dicebat Bucholzius. Legat, ſi placet, Pſalmum ſecundum. Hodiè te genui. Hoc extat in Pſalmo citato, ſed quod filius aliquis hic genitus ſit, non extat in hoc Pſalmo. Acuta Philoſophia, quæ relatorum indolem non intelligit! Sic fœmina eſt nuditas, ſive à marito nudata, hoc quidem dicit Moſe, ſed quod maritus eam nudaverit, quando nudata eſt, hoc Moſe non dicit. Acute! Subtiles Spiritus hic deprehendo, quos paſſim Dn. Cenſor mihi tribuit. Quod tandem addit affinitatem in his caſibus de fratria & uxoris ſorore, non eſſe neceſſariam prohibitionis cauſam. Hoc dum dicit, ipſi Spiritui ſancto contradicit, qui hanc rationem & cauſam prohibitionis ipſemet allegat. Nuditatem fratriæ tuæ non retegito. Quare non? Quia eſt nuditas fratris tui, vel nudata eſt à fratre tuo. Quid peperit illa nudatio? Proximitatem ſive affinitatem prohibentem ex verſu ſexto.

Ad num. 56. ſæpius jam reſpondi, Uxoris ſororem ſimpliciter prohiberi Levit. cap. XVIII. verſ. 18. juxta primam ſententiam orthodoxam. Et hunc verſum de uxoris ſorore planè non agere juxta ſecundam ſententiam orthodoxam.

Adſertio Num. III.

Porro addit, in Levit. cap. XVIII. ne veſtigium inveniri, de conceſſione matrimonii, cum defuncta uxoris Sorore, propterea, quod in illo capite, nulla conceſſio reperiatur, ſed mera prohibitiones. Verum, hic nodus jam erat diſſectus in reſponſo noſtro. n. 289. 324. & ſeq.

Conſide-

Conſideratio.

Cui adhuc ſcit, legat argumentum meum tertium, capite primo propoſitum & expoſitum, & videbit, quam firmo iſtud ſtet talo, ſed paucis (1.) Qui mihi vel unicam conceſſionem in toto capite Levit. XVIII. à v. 6. ad finem oſtenderit, is Phyllida ſolus habebit; nulla ibi eſt. Legite ſultis citatum caput; oculis veſtris fidem habete; reperietis in ſingulis verſiculis prohibitionem. Ne fiat, ne retegito, ne retegito, ne committito, &c. Qui videt leporem à venatore capi, non ſinet ſibi ullo argumento perſuaderi captum eſſe crocodilum, Nobilis Nili peſſimum incolam, contra oculorum ſenſum. [2.] Generalis lex in hoc capite negans & prohibens, exſtat v. 6.

Nullus homo ad ullam propinquam carnis ſuæ accedat.

Sed illa, omnes leges ſpeciales ſequentes, ſuo circumplexu cohercet, ex qua de cæteris omnibus ſpecialibus prohibitionibus judicandum eſt. Illa autē nō poteſt, per prohibitionis naturā, *ne fiat*, alicubi aliquid jubere, *ut fiat*. Quemadmodū ex univerſali negante nunquā elici poterit particularis affirmans, ſicut ex aqua nivali & glacie, nunquam ignis, ita ex prohibitione nunquam naſcetur conceſſio: (3.) Quæ prohibentur in ſingulis verſibus à v. 6. ad v. 24, Deus omnia illa vocat abominationes, quod reperitur v. 27. v. 29. v 30. Et non excipit hic vel unicum verſiculum. Quis igitur ingenii tam erit inops, ut conceſſionem aliquam hic deliteſcere, ſibi perſuaderi patiatur? Provocat quidem Aſſertio iterum ſuo more ad reſponſum juris num. 289. & 324. Bene! Numero 289. Invenio hæc verba *Conſtat enim ex textu Moſis intentionem non fuiſſe proponere & enumerare, quænam nuptiæ conceſſa & permiſſa; ſed quæ prohibita* ſint à Deo. Sed hoc pro me dicitur non contra me. Hoc eſt, quod volo, quod hic defendo. Additur tamen; hunc noſtrum caſum inter prohibitos non inveniri. Sed hoc temerè dicitur contra expreſſa verba textus originalis. Et mulierem ad ſororem ejus non aſſumito. Pauſa! Quis quæſo non videt hic apertam prohibitionem? Numero 324 conceditur, tantum prohibtiones, & nullas conceſſiones expreſſè & κατὰ ῥητὸν textu, Levitici c. 18. contineri. Iterum pro me hæc ſententia maſculè militat, idque contra adſertionem; ſed ſequitur, interim non ſequi, matrimonium cum uxoris defunctæ ſorore, ex inevitabili conſequentia, non eſſe ibi conceſſum. Sed paulò poſt probabo, tantum abeſſe, ut inevitabilis conſequentia pro hoc matrimonio inde extrui poſſit, ut etiam plane nulla ex hoc textu talis ſuppullulet ſequela. Quæ de reſtrictiva prohibitione ſequuntur, aliquoties proſtrata ſunt; à cerebro humano conficta ſunt; prohibitio, quæ ſimpliciter

Q prohi-

prohibet, non prohibet ſub aliqua limitatione, vel exceptione. Ex toto contextu concludendum eſſe, porrò aſſeritur, Bene! Sed ex contextu toto prohibente, biblicè diſtincto & inciſo, non autem confuſo, & ſine ſufflamine protruſo; ita ut prohibitio & prohibitionis ratio exaggerans, uno impetu, tanquam catapotia cum ſyrupo deglutiantur. Tantum ad illa, in reſponſo juris prolata, ad quæ remittebatur.

Ad Examen Conſiderationis.

Adſertionis Bucholzii num. III.

NUM. I. II.

Debebat Dn. Examinator aliquam conceſſionem mihi monſtrare in Levit. cap. XVIII. à verſ. 6. ad verſ. 18. &c. Hoc autem nondum fecit, & quia in Ironicis & aculeatis hic occupatus eſt, comprimis in captura crocodili, non turbabo Dominum Piſcatorem. Interim ſi cum Eſavo domum redierit, legat conſiderationem meam numero I. ſub Adſertione num. III. & ſtatim ſentiet quàm hic ſit ineptus.

NUM. III. IV. V.

Hic impugnat Dn. Cenſor Majorem hanc. Quod lex generalis ac prohibens verſu ſexto, ſuo circumplexu coherceat omnes ſequentes prohibitiones ſpeciales. Unde colligi queat in hoc capite meras reperiri prohibitiones.

Reſpondeo.

Dum Majorem hanc negat verba, Spiritus Sancti in verſu ſexto negat. Nullus homo ad propinquam carnis accedat. Concluſionē concedit, ſcilicet leges ſpeciales Levit. cap. XVIII. à verſu 6. prohibere tantum. Concluſio inquit, non eſt contra nos. Paulò poſt aſſerit quod lex prohibens per conſequentiam tamen aliquid concedere poſſit, quod fiat verſu 18. Non duces uxoris ſororem ad laceſſendum, & in vita ejus. Hic eſt prohibitio, quæ per conſequentiam hoc modo parit conceſſionem. Non duces in vita uxoris. Ergo licebit poſt mortem uxoris ejus ſororem ducere.

Reſpondeo.

Eſt conſequentia Judaica ac Jeſuitica, quam proſtravi ſupra aliquoties. De uxoris ſorore hic agi, negat ſecunda ſententia orthodoxa, quam Cenſor nunquam refutabit.

NUM. VI. VII.

Abſonum eſſe putat, prohibitionem de proxima carnis ad omnes ſequentes prohibitiones trahere, quod agnoverit D. Chemnitius Loc. de Conjug. cap. 3. §. ſed emphaſis.

Reſpon-

Reſpondeo.

In omnibus prohibitionibus ſpecialibus à verſu 6. ad verſ. 17. incluſivè, nulla datur prohibitio, quæ non fiat propter proximitatem carnis, cujus fit mentio verſu ſexto. Nullus homo accedet ad proximam carnis: Carnis propinquitatem videbis in verſu 6.7.8.9.10,11.12.13.14.15-16.17. qui verſiculi omnes prohibent propter proximitatem carnis, quæ propinquitas eſt inter perſonas, inter quas ibidem prohibetur matrimonium. Sic verſu octavo prohibetur noverca, verſ 14. amita verſu 16. fratria, cætera lubēs omitto, idq; propter eandē propinquitatē carnis. Sed illa propinquitas in his caſibus nō tantum eſt conſanguinitas ex carnis generatione orta, ſed etiam affinitas, ex carnis copulatione nata. Hinc rectè D. Haffenrefferus in loco de Conjug. pag. 612. Quotuplex eſt propinquitas? Reſpondeo Conſanguinitatis & affinitatis. Luculentè D. Gerhard. de Conjug. pag. 391. Quia in ſpeciali prohibitione non ſolum à nuptiis conſanguineorum ſed etiam affinium abſtinere jubemur, ideo (caro carnis, reliquiæ carnis) rectiùs accipitur generaliter, pro quavis carnis propinqua, ſive per conſanguinitatem ſive per affinitatem, proximè aliquem attingente. Hæc Dno. Examinatori in faciem contradicunt. Verum noſter Examinator allegat magnum Chemnitium, loco de Conjug. cap. 3. §. ſed emphaſis, quaſi ille ſtatuat, ibidem per propinquitatem carnis ſolam intelligi conſanguinitatem. Non objiciam cenſori, quod voces Hebræas, quas in Chemnitio & in Bibliis (ſi hebræa legere didicit) vidit (שאר בשרו) quasque ipſe etiam latinè ita ponit ſcheer beſaro, malè & inverſo ordine ſcribat (שאר בשרו) Beſaro Scheer. Qui legere diſcunt hebræa, ſciunt incipi à dextra lævorſum, ſicut in occidentalibus linguis à ſiniſtra ſcribimus & legimus dextrorſum. Sed hoc obiter. Iſtud autem jure juſto ipſi objicio, quod locum è Chemnitio allegaverit, ſicut Princeps tenebrarum Pſalmum XCI. apud Matthæum cap. IV. Dn. Cenſor ſic præivit, quem ſequor in hoc loquendi modo. Omittit enim verba, quæ ſequuntur in citato loco. Ubi Chemnitius ita. Hinc etiam judicium ſumi poteſt de affinitate, quatenus etiam in illa nuptiæ ſint prohibitæ. Vir & uxor ſunt una caro. Ergò NB. utrique eſt (שאר Scheer) hoc eſt, habet reliquias ſuæ carnis in conjugis cognatis. Et illa affinium propinquitas ipſi eſt prohibita. Ergo Dn. Cenſor videt ſe crimen falſi hic committere, & magno Chemnitio ſcabiem ſuam Rabbinicam affricare, cui Chemnitius maſculè, & exſertis verbis contradicit. Hic inſigne ſpecimen fallendi, falſandi & affingendi patet cuivis, qui latina legere ac intelligere didicit. Utinam Dn. Cenſor hoc caput tertium quod citat, tanti Theologi legeret, idque cum aliqua attentione, & abſque

pertinacia, videret totum ſuum examen in hoc uno capite plenè eſſe refutatum, cum toto Reſponſi Juris apparatu.

NUM. VIII.

Contra illud inſurgit, quod meræ prohibitiones reperiantur in Levit. cap. XVIII. non autem conceſſio ulla. Excipit, Prohiberi ſororio uxoris viventis ſororem.

Reſpondeo.

Textus prohibet ſimpliciter ſororem uxoris verſu 16. una cum fratria propter eandem propinquitatem. Idque per conſequentiam evidentiſſimam. Prohibet iterum ſimpliciter & univerſaliter ſororio uxoris ſororem, ſine limitatione ſequens verſus 18. Juxta ſententiam primam, vel juxta ſententiam ſecundam de ſorore uxoris, hoc verſu altum eſſe dicitur ſilentium, de polygamia autem ibi tractari. Ergo hic non invenit ubi pedem figat obvolitans Noachi columba, quia juxta ſecundam ſententiam hic prohibetur, ne quis uxorem unam ad alteram ducat, quod non cadit in diſceptationem.

NUM. IX. & X.

Colligit Cenſor. Quas nuptias Moſe non propoſuit Levit cap. XVIII. illæ non ſunt prohibitæ. Atqui Moſe Levit. cap. XVIII. non propoſuit nuptias cum defunctæ uxoris ſorore, Ergò.

Reſpondeo.

Hoc ferit ipſum Examinatorem. Si enim Moſes non propoſuit nuptias cum defunctæ uxoris ſorore in toto capite. Cur Dn. Examinator in capite hoc, has nuptias concedi, defendit tàm acriter? Ergo hic aliquid defendit ex capite hoc. quod Moſe planè non propoſuit in capite hoc. Ingenioſè ſcilicet! Sed contra verſum 16. Rectè allegavi Reſponſum Juris. Intentionem ait Moſis fuiſſe, tantum illas nuptias proponere, quæ ſunt prohibitæ. Probè! At, uxoris ſororem non prohiberi, falſum eſt ex verſu 16. quod toties inculco. Temerè igitur aſſerit Examinator contrarium cujus oculi mentales hic non vident immotam conſequentiam. Legatur præcedens mea Conſideratio, & patebit nihil hic refutatum eſſe, aut refutari potuiſſe. Equidem verſum 18. recitat Examinator, ſed ſine diſtinctione Biblica, contusè, ac ſi totus verſus uno tantum conſtaret membro, cum ſit bimembris. Confundit prohibitionem, & prohibitionis rationem quæ ſequitur. Ex ignorantia contemnit ac ridet Regem Athnach, qui tamen perpetuus eſt verſiculi bimembris diſterminator in libris omnibus biblicis proſaicis, per univerſa Biblia hebræa, quod Dn. Examinator non intel-

ligit, non didicit, quod per inductionem facilè probari poteſt. Et cur ad verſum totum decimum octavum provocat, qui de uxoris ſorore non agit ſed de polygamia, quod ſecunda ſententia orthodoxa probavit.

NUM. II.

Fateri cogitur, quod in Levit. cap. XVIII. nulla κατὰ ῥητὸν reperiatur conceſſio, ſed tantum per conſequentiam, idque in verſu 18. non licet dum uxor vivit. Ergo licet ejus ſororem ducere, quando obiit & abiit.

Reſpondeo.

Judaica & Jeſuitica eſt conſequentia. Et mulierem ad ſororem ejus non accipito. Athnach: Ergò, quæ uxoris ſoror eſt, non poteſt duci à ſororio. At ſoror ſuperſtes eſt & manet uxoris ſoror, & in vita & poſt mortem uxoris. Duci igitur nequit illa, ullo tempore. Sic reſpondetur juxta primam explicationem orthodoxam. Et juxta ſecundam, totum verſum nil aliud dicere, quam ne uxor una ad alteram ducatur per idiotiſmum linguæ ſanctæ. Nihil igitur hic eſt in toto verſu, ubi Examinator pedem poteſt figere, qui in ſuis miſerè currit eccentricis, abſque Ariadnes filo.

Adſertiō. NUM. IV.

Et ſi hoc loco memor fuiſſet adverſarius doctrinæ ſuæ, quædam per ſe concedi in ſcriptura, quædam per conſequentiam, forte hoc argumentum proponere erubuiſſet.

Conſideratio.

Satis memini, & in Gamologia oſtendi, quædam dici in Scriptura κατὰ ῥῆμα, id eſt, exſertis verbis, totidem verbis (Aſſertio vocat per ſe, quod opponi ſolet ei quod eſt per accidens: Ergo huc non quadrat.) quædam educi ex illa per conſequentiam, ſed tamen non quamlibet; ſic enim Scriptura dixiſſet, quod quilibet Judæus, Photinianus, Anabaptiſta, Paracelſiſta, nihil ſuis ſequelis è ſcriptura depromere conaretur. Verum per conſequentiam neceſſariam, & evidentem, quod nemo negat, nec ipſa adſertio id negare audet. Repeto igitur argumentum meum quartum è capite primo, quod ita habet.

Quicquid Scriptura planè præterit, ita, ut nec verbis nec evidente ac neceſſaria conſequentia iſtud doceat, id non temerè debet affirmari ac defendi,

Atqui licentiam ducendi uxoris defunctæ ſororem, Scriptura planè præterit, &c. ——— ——— ——— Ergo.

Sanè, Scriptura verbis id non docet, quod certum eſt. Per neceſſariam quoque conſequentiam id non docet, quia hypotheſis illa ſive enunciatio

illa reſtrictiva; Non duces ad laceſſendum: Non duces in vita ejus. Ex qua hypotheſi, in textu originali non reperta per conſequentiam hoc male elici voluit. Ergo licebit uxoris ſororem ducere, quando uxor mortua eſt, quando affligi non poteſt, ſed uti jam jam dixi, prius iſtud planè non reperitur in toto Moſe; ubi ergo pedem figet poſterius, quod in priori ſuum fruſtra querebat fundamentum? Hoc igitur argumentum meum non erubeſcit, ſed abſque rubore publicè ſtabit, donec limitatam talem conceſſionem, non nemo mihi è textu originali monſtrabit. At quando? Ad græcas neinpe calendas.

Ad Examen Conſiderationis Adſert. Bucholzii Num. IV. Notæ.

NUM. I. ad VI.

Hic nihil novi eſt. Fatetur Dn. Examinator ſe erraſſe in vocibus per ſe, quod ego leviter tantum monui, abſit à me, ut ideo aliquem reprehendam, ſi non aliud ſubtus latet.

NUM. II.

Sororem dicit prohiberi tantum duci, ad ſororem, ad laceſſendum, & ſic in vita ejus. Sed ad nauſeam reſpondi. Si de uxoris ſorore propriè dictâ verſum intelligi vult Cenſor, illicò univerſalem prohibitionem invenit, quæ ſe uſque ad pauſam Athnach extendit, ubi primum membrum verſus, à ſequente membro diſtinguitur. Vel, quod accuratius eſt, prohibet verſus, ne quis unam uxorem ad alteram ducat. Ratio ſequitur itidem in altero membro poſt Athnach. Tu anguſtia priorem uxorem afficies, retegendo alteram ſuperinductam in vita ejus. Lites erunt, & fulmina perpetua inter illas uxores. Hic pro uxoris ſorore propriè dicta, nullum verbum videt Dn. Examinator, propter idiotiſmum ſanctæ linguæ ad oculum ſupra oſtenſum. Ergò. Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

Adſertio. NUM. V.

Eo enim ipſo, quod cum perſonis nominatis contrahere prohibitum eſt, cenſetur cum reliquis contrahere conceſſum eſſe, per pronam & evidentem conſequentiam. Id quod etiam in hac noſtra materia uſu venit, ubi ſpecialiter reſtrictivè, & ſub expreſſa conditione, ſi uxor adhuc vixerit, prohibitum eſt ejus ſororem ducere. Et obſecro, quis unquam, niſi omnis ſequela inops, ex hac ſpeciali lege ita argueret? Nemo debet ducere ſororem uxoris, ſi hac adhuc vivit: Ergo etiam nemo debet ducere illam, ſi uxor non amplius vivit.

Conſideratio.

Si tantum perſonæ in Levitico nominatæ prohibentur, & cum reli-

quis

quis contrahere conceditur; ſic avia nubere poteſt nepoti, & proneptis avo, quia hæ perſonæ non nominantur in prohibitionibus expreſsè. Abſurdum. Verùm de hac quæſtione an tantum perſonæ, in famoſo hoc Levitici loco nominatæ probibeantur, Dominus opponens agit in calce adſertionis, ubi diſpiciam, quid ſubſit ſolidi. Redit deinde exceptio, quæ utramque facit paginam de prohibitione reſtrictiva. Non duces uxoris ſororem ad laceſſendum: non duces eam, dum vivit uxor. At cui bono? quippe, quæ nunquam probatur, quæque in textu non reperitur, cadit ergo lubricæ huic hypotheſi inſiſtens ſequela, non duces uxoris viventis ſororem. Ergo duces uxoris defunctæ ſororem. Hoc cum Mercurio dudum ——— ——— ——— ——— noctii immiſcuit atræ.

Ad Conſiderationem Adſertionis Bucholzii

Numero V. Notæ.

Numeri hic ſunt quinque. Nihil autem novi appulit cum his neu ex Africa, neu ex Aſia,

NUM. I.

Confundi ait legem naturæ, cum lege Moſis poſitiva.

Reſpondeo.

Omnes leges in Levitici cap. XVIII. extantes pertinent ad omnes omnino homines, quod ex textu ipſo probatur. Supra citavit Dn. Examinator D. Chemnitium de Conjug. cap. 3. Legat hunc locum & obmuteſcet cum ſuis Jeſuiticis novitatibus.

NUM. V.

Format Syllogiſmum.

Quæcunque perſonæ in Levitico non ſunt nominatæ, illæ contrahere non prohibentur.

Atqui Avia & nepos, proavus & proneptis non ſunt nominati in Levitico.

Ergò contrahere non prohibentur.

Reſpondeo.

Syllogiſmus iſte non extat in Conſideratione mea, ubi extra formam diſſero, quemadmodum fecit Reſponſum Juris, & Cenſor in ſua Adſertione & Examine paſſim. Sed jam erit meus. Minorem concedere cogitur Dn. Cenſor. Majorem limitat, quem dicit locum habere in lege Moſis poſitivâ.

Reſpondeo.

Major hæc eſt Domini examinatoris, qui adſerit, tantum perſonas in Levi-

in Levitico nominatas prohiberi. Ego autem Majorem hanc refuto & rejicio totam. Accuſat hic Spiritum meum nimis ſubtilem, quod hanc Majorem non tantum reſtringam ad leges illas, quæ in Levitici cap. XVIII. ſint poſitivæ, & ſic ea, quæ legis naturæ, & quæ legis poſitivæ hic ſunt, non diſcernam.

Reſpondeo.

Subtilem hunc ſpiritum Jeſuiticum, qui hanc peperit opinionem, & in hoc Levitici cap. XXIII, diſtinctionem Dn. Examinatori cum purgatorio, cum limbo Patrum, cœterisque ſubtiliſſimis Entitatibus ac Hecceitatibus non invideo, ſed illum ſequor ſpiritum, qui ex verbo DEI, ex divinis textibus hic diſputat contra novatores, quem ſpiritum probet Cenſor tantum in cap. 3. loci de Conjug. pap. 222. apud magnum Chemnitium, qui Spiritum hunc Bucholzii Jeſuitiſſantis, in loco oſtenſo, quem ipſe Cenſor paulò ante allegavit, in tales redegit anguſtias, ut vix amplius poſſit ſpirare ille Spiritus novaturiens. Sed hæc quæſtio: An prohibitiones Levit. cap XVIII. pertineant ad legem naturæ, & quomodo? huc non pertinet. Noſtra controverſia eſt, de defunctæ uxoris ſorore, an illa duci queat à ſororio, ita ut ex Levit. c. XVIII. hoc probari poſſit? Mihi ſufficit, quod opinio Jeſuitarum exploſa ſit à noſtris tàm Theologis, quàm JCtis celeberrimis, idque ad ductum textus immediatè inſpirati, qui probat illas prohibitiones ad omnes homines pertinere, eosque obligare, Cui ſuperba ſingularitas hic accedere abnuit.

Adſertio NUM. VI.

Deinde ita argumentatur Adverſarius, non licet ducere uxorem defuncti fratris, ergo nec defunctæ uxoris ſororem. Quia utriusque, quoad gradum, par eſt ratio. At nos negavimus, & adhuc negamus conſequentiæ rationem, propter diverſitatis rationes in reſponſo noſtro formatas, quas adverſarius tacitâ approbatione, dum non refutat, confirmat. Vagatur autem vehementer in petiti principii labyrintho, in quo nos toties errare abſque ratione judicat.

Conſideratio.

Repetit aſſertio illa, quæ paulo ante, idque præcedente paginâ inculcavit, de diverſitate cauſarum non ducendæ fratriæ, & non ducendæ uxoris ſorore: At negat conſequentiæ rationem, & utriusque quoad gradum, rationem non eſſe parem, propter rationes in juris reſponſo firmatas. Sed, quia illa omnia modeſtè protrita & ſopita ſunt, in præcedentibus foliis, non repetam, ne omnino legenti ſuboriatur nauſea, ſed remitto ad ea, quæ ſolidè

lidè

fidè reſpondi ad hæc. Principium autem ubi petam, nondum vidi, aſſertio quidem hoc dicit, ſed non probat. Interim propoſitio reſtrictiva & conditionata ſive exceptiva.

Non duces uxoris ſororem, dum uxor vivit, quæ toties recurrit, & toties certè principium petit, quoties recurrit, quod rectè monui in Gamalogia pag. 414. quia hæc ſemper ſupponitur, & nunquam è textu hebræo probatur. Hoc autem eſt principium petere, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, cum id loco probationis ſumitur, quod in quæſtione eſt, quod æquè dubium eſt, quemadmodum logici loquuntur. Utinam Adſertio ſibi oblatum arriperet Ariadnes filum, & legeret textum originalem cum ſua diſtinctione nativa, ut hoc labyrintho ſtatim exiret, profectò res eſſet mihi tàm grata, quam quæ gratiſſima & ſic tota hæc diſputatio bonâ cum gratiâ eſſet compoſita.

Ad Conſiderationem Adſertionis Bucholzii

NUM. VI.

Nota.

Numeri hic ſunt quatuor, qui etiam nihil novi apportant.

NUM. I.

Concedit eandem propinquitatem in utroque caſu eſſe, de fratriâ & uxoris ſorore. At diverſitatem in prohibitione ponit, quaſi vero diverſitas pœnæ collecta, ſtatim inferat caſuum diverſitatem, quod jam antè confutavi.

NUM. II.

Ait, Gamologiam petere principium in eo, quod ponat. Ubi idem gradus, eadem propinquitas, ibi eadem apud Moſen viget prohibitio. Quod Cenſor tamen neget.

Reſpondeo.

Dominus Cenſor hoc quidem negat, ſed malè negat, quod etiam oſtendi paulò ante. Nunquam ſubminiſtrat cauſam ſonticam. Cur una eademque propinquitas in hoc caſu prohibeat, in altero caſu non prohibeat, ſed concedat, cum tamen utriuſque eadem inſit propinquitas?

NUM. IV.

Ait, ſe ex integra lege verſu 18. elicere, Uxoris ſororem duci non poſſe, quamdiu vivit. Vicies autem reſponſum eſt, prohibitionem non meminiſſe conditionis ullius. Cenſorem confundere membrum primum quod complectitur prohibitionem, & alterum, quod complectitur prohi-

bitionis rationem, uti fit in cœteris verſiculis præcedentibus, ita etiam in verſu citato. Non agi eo verſu, de uxoris ſorore propriè dicta. Et tantum de his toties recalefactis.

Adſertio Num. VII.

Ritè enim probare debebas, non ex mera ſua, & præceptorum authoritate adſerere, graduum propinquitatem in genere eſſe cauſam omnium prohibitorum à Moſe matrimonii generum, quo facto, demum robur argumenti ſui oſtendere. At verò plus quam miſere inducit: Graduum prohibitio, non dependet à confuſione ſeminum. Ergo ſemper & ab hac propinquitate conſanguinitatis & affinitatis. Si enim in gyrum ſyllogiſmi reduxerit adverſarius hanc ſuam illationem, tunc fortè perſpiciet, quàm turpiter in nectendis ſequelis hallucinetur. Namque plures poſſunt eſſe cauſæ alicujus prohibitionis in nuptiis, quàm confuſio ſeminum, & hæc propinquitas ſanguinis aut affinitatis. Et quorſum ille refert ſummi legislatoris voluntatem, in jure hoc poſitivo condendo? Cujus ratio, ut ut hominem lateat, id legis valorem non infringit. Hinc ipſe Lutherus, & alii Doctores, ut in reſponſo noſtro probavimus, docent, Moſen gradus circa has prohibitiones non numeràſſe, ſed ad perſonas ſolùm reſpexiſſe. Ideoque malè cum aliis infert adverſarius. Nefarium cenſetur, ſi quis uxorem fratris ducat. Ergo nefas etiam eſt, ſi quæ nubit ſororis marito. Præterquam enim, quod hæc illatio venit ex ſuppoſita gradus prohibiti, falſa reciprocatione, non unam inter duos hoſce caſus, ſed plures diverſitatis rationes dedimus in reſponſo noſtro, ſub numero 346. & ſeq. ab adverſarii ſane confutatione illibatas.

Conſideratio.

Hoc vult aſſertio (1.) oſtendere debui, graduum propinquitatem eſſe cauſam prohibitorum à Moſe matrimonii generum, & robur argumenti mei oſtendere. Reſpondeo. Feci hoc in Gamologia paſſim, videatur inter alias pag. 408. oſtendo quoque nimiam propinquitatem (non dico graduum propinquitatem, cur ergo verba mea mutantur,) ſive ex conſanguinitate, ſive ex affinitate ortam, eſſe genuinam cauſam omnium illarum prohibitionum, in Levit. c. XVIII. quæ inter nonnullas perſonas matrimonium averruncant: Ergone illud debeo oſtendere, quod Moſe tam luculentè dudum oſtendit v. 7. Nullus homo ad ullum propinquum, vel propinquam carnis ſuæ accedat. Ito jam per omnes verſiculos ſpecialiter prohibentes, & quære ex Moſe cur hæc matrimonia omnia & ſingula ſint prohibita? Reſpondebit ex v. 6. propter nimiam propinquitatem, vel carnis proximitatem (שאר בשרו) quid clarius dici poteſt? Nonne hic prohibitionum

bitionum omnium cauſam oſtendit? Porro (2.) Argumenti mei robur debui oſtendere. Sed & hoc feci ſupra cap. 1. arg. 1.

Quicunque impingit in primum gradum lineæ collateralis æqualis, à Deo Levit. c. XVIII. v. 16. expreſſè prohibitum, is peccat.

Atqui, ducens duas ſucceſſivè ſorores, impingit in primũ gradum lineæ collateralis æqualis, à Deo Levit. XVIII. v. 16. prohibitum. Ergo.

Sed Dn. opponens gradus non admittet, quos tamen Jura, Civile, Canonicum, Municipalia, tot ac tanti Theologi, tot ac tanti JCti admittunt. Quàm benè, videbimus infra, ubi mihi hanc controverſiam movet. Sed facilis hic ero, & eundem medium terminum, quo in hoc ſyllogiſmo uſus ſum, in gratiam Domini opponentis, indutum phraſi Moſaica ponam hoc modo. Quodcunque matrimonium parit Niddah, ſive abominationem, illud prohibitum eſt. Atqui matrimonium, quo mas cum fratris nuditate (ſive cum ea, quam frater nudavit) quo fœmina cum ſororis nuditate, (ſive cum eo qui ſororem nudavit) conſueſcit: parit Niddah ſive abominationem. Ergo utrumque matrimonium eſt prohibitum. Major eſt immota per textum. Minor eſt certa per facti identitatem, quam non tollit facientium, quoad ſexum, diverſitas. Mas ducit fratris uxorem. Mas ducit uxoris ſororem, eadem in utroque caſu eſt affinitas, eadem nimia propinquitas ex nudatione orta, idem utriusque factum. Mas furatur centum unciales. Fœmina furatur totidem. Ille vicino, hæc vicinæ; Ejuſdem conditionis hominibus. Interea æquè peccant ambo contra ſeptimum præceptum. Ille furatur, & hæc furatur, idem utrobique factum pullulat. (3.) Dicitur, me ita colligere, ſed plusquam miſerè. Graduum prohibitio non dependet à confuſione ſeminum. Ergo ſemper ab hac propinquitate conſanguinitatis & affinitatis. Provoco ad Gamologiam pag. 407, num. 16. ibi verbotenus leguntur ſequentia. *Nec quicquam hic proficiunt, qui excipiunt. Non licere fœminæ ſucceſſivè duobus nubere fratribus, ideò, ne fiat confuſio ſeminum, quæ in duabus ſororibus non invenit locum. Altera enim ſoror moritur, & relinquit viduum, altera ſoror poſt mortem ducenda, à viduo Affine nondum eſt cognita. Ergo hic nullus metus, ſed uno verbo. Intortus hic aries facili negotio proſtratus jacet. Graduum enim prohibitio, quæ in celebri capite Levitici XVIII. legitur, non propriè dependet à confuſione ſeminum. Si, inde, NB. tantum oriretur, poſſet non nemo ſucceſſivè matrem & filiam ducere, quod tamen ex aſſe prohibitum eſt. Alta igitur fruticatur prohibitionis cauſa, ſcilicet illa, quæ nimia propinquitas* (שאר בשרו) *Levit. c. XVIII. v. 7. indigitatur, ſive ex conſanguinitate, ſive ex affinitate ſit orta: Ut igitur nefarium cenſetur, ſi quis uxorem fratris ducat; ita ex eodem fundamento nefas eſt, ſi qua nubit*

ſororis marito. Hæc fuerunt verba mea. At quinam ſunt illi, qui excipiunt diverſitatem eſſe inter hos caſus, quando quis fratriam ducit, & quando quis uxoris ſuæ ſororem ducit, quod in priori caſu metuenda ſit ſeminum confuſio, quæ in altero caſu ceſſet? Hæc eſt illa tertia ratio ipſius reſponſi juris, numero 353. quam paulò ante allegabam & reſponſionem meam ſuſpendebam, quam hic commodius inſerere poteram. Repeto igitur Themata mea. (1.) Prohibitiones Levitici. XVIII. NB. non propriè dependent à confuſione ſeminum, ſed à nimiâ propinquitate quæ v. 6. vocatur (שאר בשרו) Caro Carnis; qui hoc negat, ipſa Moſis verba impugnat. Nemo ad proximam vel proximum carnis ſuæ accedat. Percurre jam omnes verſiculos prohibentes, usque ad v. 18. incluſivè, & quære, cur non ducenda ſit noverca, nec ſoror, nec neptis, nec novercæ filia, nec amita & ſic conſequenter. Semper reſpondebit Moſes per cauſam genuinam & generalem. Non licet, quia eſt proximus vel proxima carnis tuæ, vel, nimis tibi propinquus aut propinqua eſt. Huic omnes cauſæ ſpeciales involvuntur. Sic v. 16. prohibetur fratria. Sed non additur illa cauſa, quam Reſponſum juris comminiſcitur, numero 365. ne fiat ſeminum commixtio, ſed quia nuditas fratris tui eſt, quia eſt tibi nimis propinqua, caro carnis eſt, uti Moſe dixerat v. 6. At Aſſertio ideò me pungit & dicit. Plus quàm miſerè inducit, ſi in gyrum ſyllogiſmi reduxerit adverſarius hanc ſuam illationem, tum fortè perſpiciet, quàm turpiter in nectendis ſequelis hallucinetur. Verba ſunt ſatis aculeata, & in Zona torrida nata; facilis condono, quia me nec torrent, nec mordent, nihilque ad rem faciunt! En! Fratria prohibetur, non ob ſeminum confuſionem, alia fruticatur cauſa in textu, nimirum, nimia propinquitas. Num hîc miſerè infero? Solidè infero, & ipſum textum allego ex v. 6. ſed ſyllogiſmus petitur, ut lapſus meus in nectendis ſequelis magis pateat. Quæro quâ fronte? Deus unus eſt. Probo ex Deut. c. 6. Audi Iſraël, Deus tuus unus eſt. Aſſertio non eſt contenta luculento textu. Jubet, ut reducam in gyrum ſyllogiſmi. Medicus dicit. Piper calefacit. Probat per experientiam. At juxta aſſertionem redeat in gyrum ſyllogiſmi. JCtus probat luculentâ lege, ſed nil valet ſine gyro ſyllogiſmi. Hic reviviſcit Tannerus in colloquio Ratiſponenſi. Ad rem: cauſa prohibitionum in Levitico eſt, non propriè ſeminum commixtio, ſed ne quis ad carnem carnis accedat; ad nimis propinquum vel propinquam, ſive illa propinquitas oriatur ex conſanguinitate, ſive ex affinitate, ſed Probetur ſyllogiſmo id quod apertè dixit Moſes v. 6. pulchrè! Deus eſt unus, quia dicit Moſes, Deus tuus unus eſt. Fiat ſyllogiſmus. Currat *διάνοια* ad ignotius à notiori, ubi aſſertio & probatio æquè ſunt notæ, & iiſdem con-

ſtans

ſtant perſpicuis ſacri textus verbis. Siccine ex æquè noto, concluditur æque notum? An miſerè inferat, qui ex claro textu infert & probat, & an ille turpiter hallucinetur, eruditus Lector diſpiciat. Interim, quia tàm importunè ſyllogiſmum à me poſtulat aſſertio, nullo negotio offero hunc. *Quacunque cauſa, tanquam omnium prohibitionum in contrahendo Matrimonio, vera & adæquata à Moſe ponitur, illa pro vera & adæquata cauſa eſt agnoſcenda. Atqui non confuſio Seminum, ſed caro carnis, ſive nimia propinquitas, in contrahendo matrimonio, tanquam vera & adæquata prohibitionum cauſa* à Moſe v.6. ponitur, Ergo. Jam quæro, habetne aſſertio aliam prohibitionis illius Levit. c. XVIII. cauſam? Ego nullam invenio, niſi quod dicit Aſſertio, & quorſum ille refert ſummi Legiſlatoris voluntatem, in jure hoc poſitivo condendo, cujus ratio ut ut hominem lateat, id legis valorem non infringit. Hic alia prohibitionis cauſa videtur poni, nimirum, *ſummi legiſlatoris voluntas*. Pulchrè! Quæro, eſtne illa voluntas abſcondita! Si hoc, ſanè hodiernè omnes neſcimus, quare nonnullis prohibitum ſit contrahere matrimonium. Abſonum! ſi revelata voluntas eſt, uti eſt, certè in his Moſaicis prohibitionibus, in hoc textu, in his verbis habemus voluntatem Dei, quid illa in matrimonialibus fieri & caveri velit. Imo tota ſcriptura, in revelanda voluntate Dei comprimis eſt occupata. Et non credo ita deſipere quenquam, qui in matrimonio piè ac legitimè contrahendo, vel aliam occultam divinam θέλησιν, aut aliud latens θελητὸν, alibi extra ſcripturam ſacram ſit quæſiturus. Et quomodo ratio voluntatis divinæ prohibentis in Levit. c. XVIII. hominem latere poterit, quæ ex ſanctitate & juſtitia divina, quæ ſunt ipſa eſſentia facillimè derivatur. (4.) Aſſertio mihi oppoſita, gradus conſanguinitatis, contra jura, Theologos & JCtos celeberrimos oppugnat, ſed ut dixi, infrà hac de re accuratius agam. Sequitur repetitio illa in Aſſertione, diverſitatem eſſe inter caſus, quando ducitur fratria, & quando ducitur defunctæ uxoris ſoror, in Reſponſo, numero 346. eſſe deductam, quam illibatam reliquerim. Verum, in præcedentibus nunc ſatis illa deducta hujus Reſponſi libavi, ac ſolidè refutavi, quemadmodum Lector vidit. Cur autem illibata illa in Gamalogia reliquerim, jam ante ex ipſa Gamologia oſtendi, liber enim meus ſub manu Typothetæ erat, nec animus erat ſingula, ſed præcipua ex Reſponſo juris attingere.

Ad Conſiderationem Adſertionis Bucholzii

NUM. VII.

Notæ.

NUM. I. II. III.

Sic diſſerit Dn. Examinator. Dixerat Gamologia pag. 407. paritatem gradus eſſe cauſam prohibiti matrimonii cum fratris vidua, & uxoris ſorore. Ego, inquit, putavi gradus paritatem eſſe gradus propinquitatem. Adſertio autem adverſæ partis efferbuit, meque objurgat, quod verba mutaverim. Utinam mea verba ſemper bonâ fide recenſeret, nec ſenſum mutaret.

Reſpondeo.

Tot falſa hîc ſunt, quot adſerta. Nam in Gamologia pag. 407. dico, quia utriusque (caſus) quoad gradum par eſt ratio. Iſtud eſt, eadem eſt propinquitas inter fratrem & fratriam, quæ eſt inter uxoris ſororem & ſororium. Ergo prohibitio de non ducenda fratria involvit prohibitionem de non ducenda uxoris ſorore. Quod Adſertio mea efferbuerit & objurgaverit Dn. Cenſorem, itidem falſum eſt. Legantur verba mea. Dico, nimiam propinquitatem, non graduum propinquitatem, cur ergo verba mea mutantur? Ubi hic deprehenditur effervescentia & objurgatio, de qua ebuccinator Cenſor tanto ſtrepitu agit? Scilicet

Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.

Quod verba ſua non ſemper tàm bonâ fide recenſeam, id ſuo more dicit, ſed non probat ullo verbo, ullo exemplo. Nihil autem horum quicquam ad rem facit. Nondum legi aliquid in Examine, quo probaverit Dn. Cenſor, quod in Adſertione ipſius, quam Conſiderationi meæ ſemper præmitto, aliquid mutaverim. Fruſtrà igitur adſerit, quod probare non potuit, Imo de quo hucuſque non conqueſtus eſt.

NUM. IV.

Hic culices capit Cenſor. Se vix divinare aſſerit, quid velim voce oſtendere; adſertio mea vult, ſe debere id oſtendere. Id enim non vult, ſed probationem requirit.

Reſpondeo.

Pueriles ſunt ineptiæ, quas ut videat, conſulat Dn. Examinator Ambroſium, non autem intelligo Epiſcopum Mediolanenſem, ſed conſolatorem Ambroſium Calepinum. Meritò ergò, inquit, oſtendo ſignificat, demonſtro, quia oſtendo, & ſpeciem ſeu faciem rei monſtro, quia tendere os, id eſt faciem extendere ſolemus in id, quod volumus demonſtrare. Sic

re. Sic Terent. in Adelphis: *Te plura in hac re peccare oſtendam*, id eſt, demonſtrabo, probabo. Hoc ſi neſcivit, diſcat Cenſor, ſi autem ſcivit, cur iſtis ineptiis chartas ſuas replet, iisque fruſtra me torquet, quæ tamen ſunt aliena à ſcopo diſputationis?

NUM. V. uſque ad IX.

Dixeram, propinquitatem nimiam, ſive arctiorem, ſive carnis, tàm ex conſanguinitate, quàm affinitate ortam, cauſam eſſe omnium prohibitionum ſequentium Levit. Cap. XVIII. à verſu 6. ad verſum 17. quod probavi ex verſu ſexto. Nullus homo ad proximum vel proximam carnis accedat. Verum Dn. Examinator hiſtrionis perſonam hic induit ac dicit, ſe Moſen adiviſſe & conſuluiſſe. Ille, ait, ſubridens mihi reſpondebat, nunquid neſcirem illam propoſitionem eſſe falſam, idque ex Deuteronomii Cap. XXV. verſu 5. Ubi frater jubetur ducere fratriam. Sed frater ille dum hoc facit, non accedit ad proximam carnis, quod Deus prohibuit Levit. cap. XVIII. verſu 16. Hinc Syllogiſmi pullulant Babylonici. Primus concludit. Ergò quidam frater non eſt homo. Alter ita colligit. Nullus ducens eam, quam ducere jubetur, accedit ad proximam carnis Levit. cap. XVIII. verſu 16. prohibitam. Quidam ducens fratriam, ducit eam, quam ducere jubetur Deuteron. cap. XXV. verſu 5. Ergo quidam ducens fratriam non accedit ad proximam carnis prohibitam. Hinc Exclamationes Ironicæ ſequuntur. Ubi nunc illa propinquitas carnis? Quale Ens eſt? Porro Exclamat, quid clarius dici poteſt? Certè applicatio verſus ſexti non ad omnes prohibitiones ſe extendit.

Reſpondeo.

Dialogum inter Moſen ſubridentem, & Dn. Bucholzium conſulentem, ſive in ſomnio, ſive per ecſtaſin Cenſori apparentem, non malè ſuppeditaret Interſcenium in Comœdia aliqua Anglicana. An ex Thalmude eam hauſerit, ubi talium colloquiorum ac fabularum ſeges eſt ſicula, non facile dixerim. Sed luſitet Dn. Cenſor in re ſeria, exclamet Ironicè, ſeque oblectet hiſce ſcopis diſſolutis. Ego interea ad rem reſpondebo ſolidè, quod etiam paulo ante feci. Primus ſyllogiſmus ſtolide concludens. Ergo quidam frater non eſt homo, hunc Moſes ſubridens, forſan falsè irriſit, quod Dn. Cenſor non obſervavit, redeat igitur bonus hic ſyllogiſmus in *B*œotiam patriam.

Bœotum in craſſo jurares aëre natum.

Alterius Syllogiſmi major falſiſſima eſt, Nullus (frater) ducens eam fratriam) quam ducere jubetur (in caſu deficientis prolis) accedit ad proximam

ximam carnis,quod apertè dixit Moſes Levit.cap. XVIII.verſu 16. Nuditatem fratriæ tuæ non retegito. Cur non? quia eſt nuditas fratris tui,hoc eſt,nudata eſt à fratre tuo in maritali congreſſu.Illa nudatio peperit affinitatem arctam, ſive carnis proximitatem, in carnali copulatione enatam, quæ inter illos prohibet matrimonium. Quamdiu frater eſt frater, & fratria eſt fratria,tamdiu manet hæc proximitas carnis, ex carnis copulatione orta. Pergo. Ille frater,& illa fratria,de quibus agitur in Deuteronomio, æquè eſt frater, ac fratria, quàm ille frater & illa fratria, de quibus agitur in Levitico. Ergò eadem proximitas manet utrobique, ſive in utroque caſu, niſi Dn. Examinator abſurdiſſimè velit ſtatuere, hominem aliquem fratrem eſſe poſſe, abſque illa propinquitate quæ facit fratrem, & fœminam aliquam fratriam eſſe poſſe, abſque illa propinquitate, quæ facit fratriam eſſe fratriam. Abſurdè igitur aſſerit Cenſor, qui frater in Deuteronomio accedit ad fratriam,illum non accedere ad proximam carnis ſive proximam affinem. Ergo ſequitur quod ille frater defierit eſſe frater,& illa fratria defierit eſſe fratria, & ſic in Deuteronomio deſiit illa nuditas,& ex nudatione nata propinquitas,quæ adſerente Moſe vigebat in Levitico. Nugæ! Scopæ diſſolutæ! Hinc videt quilibet,quod illa propinquitas maneat utrobique. Jam porrò quæritur. Cur illa carnis proximitas ſive affinitas,non prohibeat in Deuteronomio,ſicut prohibet in Levitico? In procinctu ſtat reſponſum. Quia Deus exſertis verbis illum unum caſum deficientis prolis ipſemet excepit. Hæc divina exceptio facit, quod frater in hoc caſu accedens ad fratriam,& conſequenter ad proximam carnis non peccet. Illa autem exceptio vel conceſſio divina tollit prohibitionem,tollit peccatum,ſed non tollit propinquitatem in hoc caſu, quia non tollit maritalem congreſſum, ſive denudationem, quâ defunctus frater illam viduam vel uxorem relictam denudavit, ex quo maritali congreſſu oritur illa affinitatis proximitas. Quod vel pueri caperent,qui relativum,ſive reatum,ſive obligationem ad pœnam, ab ipſo peccato in ſe conſiderato diſtinguere norunt,& hic proximitatem ipſam, ab annexa prohibitione.Ita ut divina conceſſio hanc tollat Deut. c.XXV. v.5 non illam. Valeat igitur Dn. Examinator cum his ſuis abſurdis,cum ſuo Goliathiſmo,& exclamationibus falſis ac ironicis, quæ jactantiæ & vanæ excandeſcentiæ quod profectò doleo,ipſum potius alligant ac damnant,opinionem autem ejus Judaicã & Jeſuiticam non ſtatuminant.

NUM. X.

Adſero. Ubi eſt propinquitatis identitas,ibi eadem prohibitio locum invenit.Hoc negat Dn. Examinator hoc loco. Provocabam interea ad argumentum meum primum,Cujus concluſio hæc erat. Ducens duas

ſucceſſi-

ſucceſſivè ſorores, peccat æquè ac ille, qui extra caſum deficientis prolis, fratriam ducit contra prohibitionem divinam. Probatur igitur, quod ſtet prohibitio eadem tam in caſu ſororii ducentis uxoris defunctæ ſororem, quam fratris, extra deficientis prolis caſum, fratriam ducentis. Quia peccatur utrobique. Ergò utrobique locum habet prohibitio, quæ de fratria extat verſu 16. exſertis verbis, de uxoris autem ſorore per neceſſariam conſequentiam, qua prohibitio de non ducenda uxoris ſorore ex eodem colligitur verſu. Idem illud clarius ita probavi. Quodcunque matrimonium parit Niddah, ſivo abominationem, id prohibitum eſt. Atqui utriusque matrimonium fratris cum fratria extra caſum deficientis prolis, & ſororii cum defunctæ uxoris ſorore, propter unam eâdemque propinquitatem prohibentem parit Niddah, ſive abominationem. Ergò utrumque matrimonium eſt prohibitum. Legantur hæc ſupra in Conſideratione mea numer. 1. 2 3. 4. At exclamat Dn. Examinator. Ubi eadem eſt propinquitas, ibi eadem eſt prohibitio, hanc propoſitionem à me non eſſe probatam. Qui hoc non videat, illum oportere inſanire. Sed invertat hoc Cenſor, & dicat eum inſanire, qui probationem hanc ridet, & negare audet, quæ ex ipſo derivatur textu. Levit. cap. XVIII. v. 6. Arctior proximitas ponitur ibidem cauſa nativa prohibitionis. Ubi illa cauſa, ibi ille effectus ſive prohibitio. Prohibent verſiculi à v. 6. ad v. 17. ſed prohibent ob arctiorem proximitatem. Prohibet verſus 16. fratriam fratri. Ergo etiam uxoris ſororem ſororio propter eandem proximitatem. Si ſecus, in eodem v. 16. datur proximitas prohibens & non prohibens idem concilia

NUM. XI.

Ad gradus recurrit, quod dicam Cenſorem non admittere gradus, quod falſum ſit. Verum verba hic captat Cenſor, ſicut Imperator quidam volitantes in palatio ſuo muſcas, novit enim quid ſit in queſtione. Nimirum An Moſes tantum inter nominatas perſonas prohibeat matrimonium, non autem inter illas etiam, quæ in eadem propinquitate reperiuntur, ſed tamen non nominantur in Levitico? Prius probat Cenſor, poſterius autem non admittit; quæ controverſia ſatis nota & ventilata eſt, huc autem non pertinet, quippe quæ in ultima carea vix geſtit ſpectari. Non diſputamus hic de gradibus, ſed de uxoris ſorore, an duci queat annuente Levit. c. XVIII.

NUM. XIII.

Dn. Cenſor repetit quidem hunc Syllogiſmum meum. Quodcunque matrimonium parit abominationem, id prohibitum eſt. Atqui matrimonium cum fratria &c. Sed nil interea contra illum tentare

audet. Concedo,inquit,in caſu de fratria, quæ liberos habet. Recte!ſed addit, & de ſorore uxoris viventis,quaſi vero ſub hac conditione vitæ, altera ſoror ſororio tantum ſit prohibita. quod ad nauſeam uſque hactenus refutatum eſt,idque ſolidiſſimè ex verſu 18.ſive is agat de ſorore propriè dicta,ſive non. Si de illa agit,oſtendi prohibitionem abſolutam, ſine ulla conditione,ex ipſo textu Biblicè diſtincto.Si de illa non agit, perdidit Cenſor omne ſuum ſolatium,quia verſ.18.de polygamia,ne quis ducat mulierem unam ad alteram,quod toties inculco. Tædet ergo diutius his immorari ineptis toties recurrentibus. Sub eodem numero. Minorem Syllogiſmi mei ita format. Atqui matrimonium,quo mas cum fratris nuditate,quo fœmina cum ſororis nuditate, (ecce novum genus concubitus)conſueſcit,parit Niddah,ſive abominationem. Ergo prohibitum eſt.Minor autem illa veriſſima eſt, propter unam eandemque proximitatem,quæ utrumque prohibet Matrimonium. Cætera ſtatim ſequuntur.

NUM. XV.

Dicit,me non loqui cum Moſe,quando ſcribam,fœminam retegere nuditatem uxoris,hoc eſſe contra naturam ſexus agere.

Reſpondeo.

Notet hic lector,ex conſideratione meâ numero 4. grande crimen falſi,quod iterum hic committit Dn.Examinator.Sic enim habent verba mea. Atqui matrimonium,quo mas cum fratris nuditate, (ſive cum ea, quam frater nudavit) quo fœmina cum ſororis nuditate (ſive cum eo, qui ſororem nudavit)conſueſcit parit abominationē.Vidit Dn.Cenſor,quod candorē omnē hic dedita opera,quod deplorandū eſt, exuat,mea peſſimè pervertat,verba mea,quæ nuditatis genuinum ſenſum explicant,planè omittat quæ tamen ab omnibus leguntur. Ubi quæſo ſcribo,ſororem cum ſorore concumbere,novo concubitus genere,contra naturam ſexus?Nullibi hoc invenit Cenſor,ſed contrarium legit,quod fœmina, ſive defunctæ uxoris ſoror cum ſororis defunctæ nuditate conſueſcit, quod ſtatim explico de ſororio,quia uxor defuncta eſt nuditas ſororii,ſicut fratria erat nuditas defuncti fratris, quia illa à ſororio nudata eſt,vel ſororius illam nudavit. Nonne hæc ſunt clariſſima, veriſſima, niſi Examinator novum genus concubitus finxerit,quo nudetur uxor,abſque nudante marito vel viro. Dic ſodes,quando Moſe ait,fratria eſt nuditas fratris tui, hoc eſt, nudata eſt à fratre tuo,ubi negat Moſe, quod frater defunctus,nudaverit fratriam? Nullibi! interim Dn. Cenſor forſan hic ponet patiens ſine a-

gente. Agens ſine patiente in hoc genere, idque contra naturam. Sed de hac re ſupra egi fuſius, quo remitto. Quod autem.

NUM. XVII.

Addit, matrimonium cum fratria, extra caſum deficienris prolis abominationem parere, nimirum ex lege Moſis poſitiva, hinc non ſtatim abſolutè argumentum eſſe ad Juris naturalis abominationem.

Reſpondeo.

Ex ipſo textu Moſaico dudum à Theologis celeberrimis ac JCtis graviſſimis probatum eſt, leges Levit. cap. XVIII. ad omnes omninò homines pertinere, de quo infra videbo ſuo loco. Interea hanc petitionem principii Dno. Cenſori relinquo poliendam. Nullus in orbe homo accedet ad proximam carnis. Qui ad fratriam accedit, is ad proximam carnis accedit, ſive ſit Judæus ſive gentilis. Non igitur eſt lex poſitiva in Levit. c. XVIII. v. 16. quæ ſolos obligat Judæos, quod ex v. 6. falſum eſt. Duplicem quoque abominationẽ fingi video à Dn. Cenſore, abominationem ex lege poſitiva Levit. C. XX. v. 21. de fratria. Et abominationem ex jure naturæ. Quæro, cur Levit. c. XVIII. v. 7. ubi pater & mater prohibentur. Et v. 10 ubi neptis prohibetur. Quæ prohibitiones ſunt juris naturæ, de nulla abominatione loquantur. Cur lex poſitiva ex mente Cenſoris Levit c. XX. v. 21, quæ non tanti momenti videtur Cenſori, tam grave, nimirum abominationem divinam affigat. Et quot drachmis à ſe invicem differant, abominatio ex lege naturæ & lege poſitiva. Sed hæc planè non pertinent ad noſtram controverſiam, de matrimonio cum defunctæ uxoris ſorore ex Levit. c. XVIII. probando, quod Dn. Cenſor ſe ex allegato capite probaturum recepit, quod facere non potuit. Cæterùm ad numeros 19. 20. ſupra reſponſi ſolidiſſimè.

NUM. XXI.

Hoc Dn. Cenſor recoquit. Reſponſum Juris, inter matrimonium cum fratriâ & ſororis uxore, urgere diſparitatem rationis, quod in illo ſemina fratrum confunduntur, in hoc minimè. Vide numerum 18. Verum, rectè reſpondi ex Levit. cap. XVIII. v. 6. quod unica & adæquata & princeps cauſa prohibitionum in citato illo Levitici capite, ſit propinquitas ſive proximitas carnis, quod ipſe Moſes perſpicuis verbis verſu ſexto affirmat. At.

NUM. XXIII.

Ineptè aſſerit Cenſor, inter carnem carnis verſu ſexto, & inter affinitatem verſu decimo ſexto, verſu decimo octavo, quantum interſit ſpatii, neminem non videre lumine præditum. S 2 Reſpon-

Reſpondeo.

Relinquo Dn. Cenſori ſpatium hoc,parſis Perſicis,aut Leucis Galli-cis,ſtadiis Italicis,vel milliaribus Germanicis menſurandum, juxta Euclidicis decreta,ſi hoc poteſt fieri.Supra autem ex Theologis Imò ex luculento textu Levit.c.XVIII.v.17. ipſi demonſtravi, & quod proximitas de quo agitur verſu ſexto, ſub ſe complectatur tàm affinitatis quàm conſanguinitatis propinquitatem, quia propter utramque illam proximitatem fit prohibitio in Levitici cap. XVIII. quod ſatis patet ex ipſo textu,& teſtimoniis Dn.Haffenrefferi, D.Chemnitii, ac Dn. Gerhardi & aliorum. Sed pro ſe Chemninitium hic allegat Dn. Examinator. Ex loco de Conjug.cap3.§. Bonaventura.

Reſpondeo.

Quàm turpiter ſe hic dederit Dn. Cenſor, quando ſupra allegabat pro ſe Chemnitium ex eodem Loco de Conjugio c.3.§. Emphaſin,id jam ante vidit Lector.Nunc eodem candore iterum,paragraphum emphaſin allegare audet quaſi tantum Theologum habeat ſibi ὁμόψηφον,qui hoc loco Dno Cenſori adſtipuletur ex aſſe.Nam num.22.Dicebat Cenſor,qui negat affinitatatem eſſe carnem carnis verſu ſexto,ipſa Moſis verba negat.Sic putat Reſpondens, quibus verbis ubi me intelligit.putat enim Dn. Cenſor per carnis propinquitatem Levit c.XVIII.6.ſolam intelligi conſanguinitatem,& ideò provocat audacter ad D.Chemnitium, qui idem ſentiat cap. 2.§. Bonaventura.

Reſpondeo.

D.Chemnitius ante illum §. Bonaventura, apertè contrarium docet, & Cenſori in faciē contradicit his verbis *Et inceſtæ nuptiæ vocantur,quæ cōtractæ ſunt inter conſanguineos NB. vel affines.In gradibus prohibitis.Ergò* propinquitas carnis Levitici capite XVIII. verſu.6.tàm affinitatem quam conſanguitatē ſuo cohercet circumplexu. Quod cap.3.§. *Hinc etiam judicium*,iterum ſatis dilucidè docet Chemnitius *quod propinquitas carnis etiam in affinitate locum habeat.* Imò in §.Bonaventura, non agit Chemitius de affinitate, ſed de conſanguitate, quæ in linea aſcendentium & deſcendentium propinquitas,in collateralibus autem 6ο.συγγένεια dicatur,ex linea maſculina cognatio,ex fœminea linea agnatio appelletur.Sed hæc vocabula,addit,plerumque confunduntur,& in genere uſurpantur.Sed quid hoc ad noſtram quæſtionem quâ quærimus. An proximitas carnis verſu ſexto æquè affinitatem, quàm conſanguinitatem complectatur? Nihil omnino.Videt igitur Cenſor,quomodo pro ſe hic citârit Chemnitium,qui

ipſi

ipſi planè contradicit. His igitur allegationibus peſſimè Lector eum falli qui facilè credit, quod non decet virum cordatum.

NUM. XV. uſque àd XXX.

Hic Confunduntur verba mea, quæ extant ſupra numero octavo in mea conſideratione. *Percurre* (ita ſcripſi) *omnes verſiculos prohibentes NB. usque ad verſum* 18. *incluſivè, & quære cur non ducenda ſit hæc &c.* Et poſt pauca. *Semper reſpondebit Moſe per cauſam genuinam & generalem. Non licet, quia eſt proximus vel proxima carnis, nimis tibi propinquus aut propinqua eſt.* Regerit Dn. Cenſor, ſe percurriſſe omnes verſus à ſexto ad finem capitis, cum autem pervenerit ad verſum 16. in aurem ſibi ſuſurraſſe Moſen Syllogiſmos, de quibus ſupra numeris præcedentibus actum eſt. Se quoque in Moſe Levitici capite. XVIII. non repeiiſſe. Ne duc hanc vel illam, quia proxima carnis eſt. Prohiberi quidem amitam verſu 12. at non addi, propinqua carnis tuæ eſt, ſed propinqua patris tui eſt Materteram prohiberi verſu 13, & non addi, proxima carnis eſt, ſed propinqua matris tuæ eſt &c. Sic verſu 16. fratria prohibetur, non ideò, quod proxima carnis ſit, ſed quia nuditas fratris ſit.

Reſpondeo.

(1) Quando Dn. Cenſor dicit, parui & percurri omnes verſiculos à ſexto ad finem capitis, ibi iterum ſua admiſcet falſa. Ego enim tantum loquor de verſiculis à ſexto ad decimum octavum excluſivè, non de ſequentibus usque ad finem capitis, qui de immunditie, adulterio, ac concubitu cum beſtiis agunt, ubi propinquitas carnis nulla eſt, quippe quæ tantum inter homines locum habet, non inter porcos, boves, & aſinos. Quis enim unquam fando audivit, hunc porcum eſſe alterius porci fratrem, conſobrinum, affinem, avunculum. Nugæ peſſimæ! (2) Moſes in aurem Bucholzii inſuſurans hoc mihi amicè narrat, fuit Pſevdo Moſe, ſicut excitatus Samuel à nequam fœmina Endorenſe PſeudoSamuel erat. Meminerit igitur D. Bucholzius, ſe hic falſa didiciſſe à ſuo Inſuſurrante, qui liberè ac in lumine loqui non audebat. (3) Quæ ſequntur. Ne retegas amitam, quia propinqua patris tui eſt, non autem proxima carnis tuæ eſt. Matertera non retegatur, quia proxima matris tuæ eſt. Fratriam non retegito, quia nuditas fratris tui eſt, non autem propinqua tua eſt, vel ne fiat, quia proxima eſt carnis. Profectò hæc ab ſurda, miſericordiam legentis ſtatim implorant, non autem acumen refutantis poſtulant, En! Tu fili, patris tui ſororem non retege. Eſt enim propinqua patris. Non autem ideò tibi nimis eſt propinqua aut proxima carnis. Inverte hoc contra Dn. Bucholzium, & dic jubente veritate: quia patris tui ſoror patri tuo propinqua eſt, ſoror ipſius eſt. Hinc, & ex hoc

fundamento, tibi tam eſt propinqua vel tibi eſt proxima carnis, ut propter illam propinquitatem illam ducere prohibearis. Et ſic in cæteris. Tu frater non duces fratriam, quia hæc fratris tui defuncti nuditas eſt, hoc eſt, fratris tui uxor fuit, qui illam ſnudavit. Hinc, & ex hoc fundamento, nata eſt arctior affinitas, ſcilicet ex fratris tui denudatione, quæ affinitas inter te & illam orta eſt, illamque tibi prohibet. Pudet me talia legere. En Domine Cenſor. Nuditatem matris ne retegito verſu 7. quia mater tua eſt. Non autem ideo tibi proxima carnis eſt ex verſu 6. præcedente. Abſurdum! Nuditatem neptis ne retegito verſu 10, quia nuditas tua eſt. Interim tibi non eſt proxima carnis. Abſurdum! Inverte omnia. Quia mater eſt, ideò tibi proxima carnis eſt. Quia neptis eſt, ideò tibi proxima carnis eſt, nimis propinqua eſt. Quia amita tua eſt, ideò tibi nimis propinqua eſt. Vocabula pater tuus, mater tua, amita tua, noverca tua, fratria tua, ſive fratris tui nuditas ſingula ſpecialem ponunt propinquitatem, ſive carnis proximitatē, inter perſonas quæ prohibentur contrahere, & dum hoc faciunt, illam generalem proximitatem ex verſu. 6. ſemper ponunt & non tollunt, affirmant non negant. Quis ſanæ mentis ponendo & affirmando ſpeciem negat genus. Ruta eſt, ſed herba non eſt. Lucius eſt, ſed piſcis non eſt. Canis eſt, ſed animal non eſt. Roſa eſt, ſed flos non eſt. Amita tua eſt, ſed ideò arctè tibi propinqua non eſt. Matertera eſt matris tuæ proxima. Ideo non eſt tibi proxima carnis. Affinitas eſt. Ergò proximitas carnis non eſt. Itane Virum Profeſſorem ineptire decet! Cæteri numeri à 32. ad num. 35. nil habent ſolidi, ſed ex iis, quæ dicta ſunt, facili negotio refutantur.

NUM. XXXVI.

De Syllogiſmi uſu argutatur Dn. Cenſor, ſed ſtatum quæſtionis ſub ſuis cuniculis ſepelit & occultat, Adſerebam, unicam ac principem cauſam prohibitionum Levit. cap. XVIII, eſſe carnis proximitatem, quod probabam ex verſu 6. Nullus homo accedat ad proximum aut proximam carnis. Hinc cadere dicebam exceptionem Reſponſi Juris. Adſerebat enim Reſponſum Juris, Non licere fœminæ ſucceſſivè duobus nubere fratribus, ideo, ne fiat ſeminum confuſio, quæ in duabus ſororibus non inveniat locum. Ego contradico, & adſero, quod Fratria prohibeatur à Moſe, non propter ſeminum confuſionem, ſed propter arctiorem propinquitatem ſive affinitatem. Iſtud probo ex luculentis textibus. Ex verſu ſexto. Nullus homo accedat ad proximam carnis. Ex verſu decimo ſexto. Fratria eſt nuditas frātris tui. Et ideo propter affinitatem ex nudatione ortam tibi eſt prohibita. Sic patet ex perſpicuitate textus, ex verſu ſexto, & ex verſu de-

cimo ſexto, quod ſeminum confuſio non ſit genuina cauſa prohibitæ fratriæ. Adſertio Bucholzii hæc adſerta mea certiſſima, luculento textu probata, pungit inſtar ſcorpii his verbis. Si in gyrum Syllogiſmi reduxerit adverſarius hanc ſuam illationem, fortè perſpiciet, quàm turpiter in nectendis ſequelis hallucinetur. Nam plures eſſe poſſunt cauſæ prohibitionis &c. Repono in mea Conſideratione. Quæ luculento textu immediatè inſpirato probantur, idque in terminis, ea non ſtatim indigere Syllogiſmo. Proximitas carnis eſt genuina cauſa, cur fratria prohibetur fratri, quia nuditas eſt defuncti fratris: Sunt verba textus. Seminum confuſio non eſt cauſa hujus prohibitionis nativa, quia de illa ne gry ne my in toto capite citato Levit. cap. XVIII. Textus eſt DEI verbum. DEI verbum eſt ipſe DEUS loquens. DEO loquenti ſimpliciter credendum. Quæritur an DEUS Iſraelis ſit DEUS unus. Affirmatur & ſolidè probatur, idque extra omnem Syllogiſmum, ex Deut. cap. VI. Audi Iſrael, Deus tuus Deus unus eſt. Reducat hæc ſequentia in gyrum Syllogiſmi noſter Cenſor, ſi omnia ibunt in gyrum, ſequentia quoque gyro huic Syllogiſtico acceptum ferant, quod ſint vera. Triangulum tribus clauditur lateribus. Totum eſt majus quâlibet ſui parte. Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe. Pergo. Anne DEI omnipotentis verba, quæ totidem verbis clarè id dicunt, quod in quæſtione erat, nihil probant extra Syllogiſmum, extra formam? Negatur. Quæritur. An Chriſtus ſit filius virginis. Angelus affirmat, & probat adſertum ſuum, per Prophetam ita loquentem. Ecce virgo erit prægnans & pariet filium. Sed ille textus juxta Bucholzium fortaſſe an non ſufficit, non plenè probat. Quia angelus non probat per gyrum Syllogiſmi. Matth, cap. 1. vers. 21 23, Meſſias naſci debet in Bethlehem. Probatur cap. 11. vers. 6. Quia ſcriptum eſt per Prophetam. Et tu Bethlehem &c. Ubi hic gyrus Syllogiſmi? Apud Mattheum cap. IV. Chriſtus Diabolum convincit ſolis textibus, idque extra formam & Syllogiſmi gyros. Colligam iſta in faſciculũ, Anne principia prima indigent Syllogiſmis, ut vim probandi ex iis nanciſcantur? Num per Syllogiſmum probanda ſunt quorum veritas ſenſuum Judicio comprobatur in toto orbe terrarum. Nix eſt alba. Ignis urit. Piper eſt acre. Nemo hoc affirmabit, niſi in gyrum & vertiginem omnia eant. Profectò pueri hæc videbunt, qui norunt probationem horum à ſenſibus ſanis pendere, nec ullam διάνοιαν requirere. Prodeant Sleidanus, Livius & Jovius hiſtorici, hiſtoria de nuptiis in Cana Galilææ, de leproſo purgato, de tempeſtate in mari ſurgente ipſa quoque oratio Dominica, omnes in gyros Syllogiſmorum reducti & reductæ. Hem quale jubar tunc noſtro affulgebit ſeculo! Interim Syllogiſmos ſuo loco laudo, & pluris æſtimo quam forſan Dn. Cenſor, qui ſuos

errores

errores ſæpè ſub Syllogiſmis tegit, quod toties comprobatum eſt quique mihi Syllogiſmos Babylonicos ſæpe vendidit pro Athenenſibus.

NUM. XL.

Dicit Dn. Examinator, me inſtare hoc argumento: Qui non tenetur probare, quod DEUS ſit unus, ille non tenetur probare per Syllogiſmum quod fratria duci prohibeatur propter nimiam propinquitatem. Atqui nemo tenetur per Syllogiſmum probare, quòd DEUS ſit unus. Ergò.

Reſpondeo.

Falſum hic dicit Dominus Examinator contra proiximum, quod ſæpe proh dolor, facit. Oculi hoc iterũ docebunt in numero X conſiderationis meæ, quæ præcedit. Syllogiſmum igitur ſuum, quem ſtruxit, retineat, qui nunquam fuit meus. Si candidè agere voluiſſet, Syllogiſmi majorem talem formaſſet. Qui DEUM unum eſſe, in terminis probavit, ex luculento textu Deuteron. 6. Audi Iſrael DEUS tuus, DEUS unus eſt, is non tenetur idem probare per Syllogiſmum. Atqui &c. Sed numero. 41. excipit Cenſor, quis tàm audax eſt, qui ab articulo fidei, per verbum DEI revelato, collegerit ad cauſam legis poſitivæ, & ad rem hiſtoriam.

Reſpondeo.

Neſcio an dormiens ſcripſerit tam inſipida noſter toties examinandus Examinator, an verò vigilans. Quid quæſo hoc monſtri alit? Canonici libri omnes, ſive articulum fidei proponunt, ſive legem aliquam, ſive hiſtoriam, eâdem veritate ac certitudine proponunt ſingula. Quia omnis ſcriptura (πᾶσα ἡ γραφὴ) divinitus eſt inſpirata. 2 Tim. cap. III. verſu. 16 à Spiritu ſancto (φερόμενοι) impulſi, locuti ſunt ſancti DEI homines. 2. Pet. c. I. verſu, 21. Quam verè igitur Moſe loquitur, vel Spiritus ſanctus per Moſen, Deuteron. cap. VI. Audi Iſrael, DEUS tuus, DEUS unus eſt. Tàm verè loquitur Moſe, vel ſpiritus ſanctus per Moſen Levit. cap, XVIII. verſu ſexto. Nullus homo accedat ad proximam carnis ſuæ. Et verſu decimoſexto. Nuditatem fratriæ tuæ ne retegito. Qua de cauſa? Quia nuditas fratris tui eſt, Iſtud eſt, per denudationem à fratre tuo factam, tibi proxima carnis eſt vel affinis eſt. Et tàm verè loquitur Moſe in hiſtoricis libris Geneſ. cap. I. v. 3. Tunc DEUS dixit, eſto lux: & fuit lux. Et Geneſ. cap. XXI. verſu 5. Erat autem Abraham natus centum annos, quum naſceretur ei Iſaac filius ejus. Ergò hiſtoricum illud, quòd DEUS jubendo lucem creaverit, quod Abraham in ſenectute ſua filium Iſaac genuerit; Et legem de non ducenda fratria, extra caſum deficientis prolis; Et cauſam prohibitionis hujus, quæ eſt ex retectione fratris nata arctior propinquitas, æquè verè, eademque certitudine probantur ex textibus ſcripturæ, quàm articuli fidei,

de

de DEI unitate, & cæteri de genere hoc. Quod dum Dominus Cenſor audaciam vocat, hac audacia ſcripturam ſacram in nonnullis textibus minus vere docentem, in aliis magis [illegible] informantem proclamare audet, quod impium eſt, & à viro Proteſtante alienum eſſe debeat.

NVM. LXIV.

Quæritan paganum philoſophum convincere queam abſque Syllogiſmo, DEUM eſſe unum?

Reſpondeo.

Ego diſputo cum D. Bucholzio Chriſtiano ex ſcriptura. Si ille diſputabit mecum de ſcriptura, cuius perſpicuis textibus abſque Syllogiſmi gyro non cedet Cenſor Parum ille aberit à pagano ſuo Philoſopho, quod tamen non ſpero. Utinam Dominus Cenſor legiſſet libros Theologicos de autoritate Scripturæ abſolutè in ſe & relate reſpectu noſtri conſideratæ nunquam tam craſsè impingeret, quemadmodum hic impegit, Profectè miſeret me examinis huius hoc loco.

NUM. LXV.

Defendit Cenſor noſtro exemplo Jeſuitam Tannerum, ſcurram potius ac ſophiſtam, qui ruſticitatem ſuam Theologicam ac ſexcenta falſa ſub Enthymemate, Sorite, ac Syllogiſmis ſuis in forma perfectis, Sophiſticè occultavit in colloquio Ratisbonenſi habito Anno M.DCI. Hoc reprehendo in Tannero, & hoc in Cenſore, qui mihi affingit Syllogiſmos, qui non ſunt mei, qui inanes ſuas ſophiſticationes Syllogiſmis ſuis malè conſultis, quos ſæpè correxi ac refutavi, occultare ſtuduit. Qui in vepreta ſe abdit, nec ſibi fidit in aperta planitie comparere, ſed in ſuis fruticetis ſyllogiſticis latere cogitur. Quem abuſum Logicæ jus Canonicum intelligit & damnat, diſtinct. 37. c. Nonne vobis, & c. omnem. 6. Syllogiſmos magni facio. & pluris forſan quàm Cenſor, ut jam ante dixi. Tannerum quod attinet, nihil hic repono, video enim Dn. Examinatorem non legiſſe Colloquium Ratisbonenſe, nec fortè intelligere ibi diſputata. Remitto ipſum ad editionem, quam ipſi Pontificii adornarunt Monachi Anno M.DCII. Libet primoribus tantum labris, inter alias pag. 236. pag. 250. pag. 253. pag. 256. pag. 319. Conferat, ſi ipſi placet, alteram editionem, Laringæ eodem anno M.DC-II. ex officina Palatina prodeuntem. Et videbit, quam inſipidè & iniquiſſimè hic defenderit Jeſuitam Tannerum. Nonne erubeſcendum.

NUM. XLVII.

Sibi liberum eſſe ait, medium termiuum ad locum debitum redigere, quando ſequelas meas examinet.

 Reſpon

Reſpondeo.

Dn. Cenſor medium terminum non redigit ad locum debitum; ſed ineptos ſuos ſyllogiſmos mihi affingit, quod toties oſtēdi. Præterea ſcire debebat, quod vel centū ſyllogiſmi, vel mille, cū papilionibus & muſcis obvolitent in caſtris hæreticorum, qui ſunt ineptiſſimi, falſiſſimi, quamvis medius terminus ſuo ſtet loco, juxta præſcripta Logicorum. Quibus, ſi quis abuti voluerit, non erit difficile, falſiſſima quæque ſub forma ſyllogiſtica diſſeminare.

NUM. XLIX.

Negat ſe dixiſſe, confuſionem ſeminum eſſe veram cauſam omnium prohibitionum Levit. cap. XV*III.*

Reſpondeo.

Juris Reſponſum hunc ponit, & cauſam eſſe dicit prohibitionis, quâ fratria prohibetur, ſed malè. *N*am Moſes longe aliam ponit cauſam. *Nuditas eſt fratris tui.* Arctior propinquitas ex carnis copulatione originem trahens, tibi fratriam prohibet. *N*ullibi in prohibitionibus propinquitatis arctioris, fit mentio ulla ullius confuſionis ſanguinis in toto capite Levitici XV*III.* *Cæterùm* propinquitatem carnis, de quâ verſus ſextus loquitur, negat eſſe cauſam prohibitionum uſque adverſum decimum octavum Sed mox numero 51. affirmat. Idem, nimirum propinquitatem, quatenus Moſi ad honeſtatem ſufficere viſa eſt, ſe admittere dicit, quod ſit prohibitionum cauſa, & ſic mentem illicò mutat in melius, utinam & in aliis. Propinquitas igitur illa in verſu ſexto, qualem illam tandem concipit cenſor, jam eſt cauſa prohibitionum, quæ antea non erat cauſa prohibitionum, adverſum decimum octavum. *I*ta vis veritatis nolenti & neganti hic exprimit hanc confeſſionem.

Adſertio.

QUam autem is jejunè arguat cum ſororem uxoris, carnem carnis illius facere adlaborat id in Reſponſo noſtro n. 374. ſeqq. demonſtravimus ad quod præter mera & inania verba ille repoſuit nihil. Et vero, quid reſponſurus eſt ad illud abſurdum, quod ex ficta ſua carne carnis neceſſario proficiſcitur? Dicit enim, & pro immobili fundamento ponit, quod ſoror uxoris, ſit caro carnis illius mariti, qui alteram ſororem in thoro habet. Eadem ratione ſequetur, quod duo fratres non poſſint ducere duas ſorores extraneas. Quod ille tamen libenter admittit in ſua Gamolog. lib. 2. tit. 5. poſit. 2. n. 2. Certum enim eſt, quod ex ratione adverſarii, & per textum Gen. c. XXXVII. v. 27. duo fratres ſint una caro, & duæ ſorores inter ſe eadem ſint una caro. Si itaque duo fratres duxerint duas ſorores extraneas, per neceſſariam adverſi præſuppoſiti conſequentiam, duo fratres, duas ſorores extraneas in matrimonio habentes, habebunt carnem carnis ſuæ.

con

Reſpondeo.

Hoc verum eſt. Hic inter nos ideò dividiæ ſunt. Sententiam autem meam ſupra probavi, ut repetitione hic locus non ſit:

NUM. IX.

Dicit Examinator, me ægrè ferre, quòd magnus Theologus D. Gerhardus in Reſponſo Juris ſit refutatus, non autem acquieſcendum eſſe in illo, quod vel hic vel ille Theologus ſtatuat.

Reſpondeo.

Non ſolus D. Gerhardus, ſed D. Chemnitius, & omnes ferè Theologi orthodoxi idem docent, quod proximitas carnis verſu ſexto ſub ſe tam affinitatem quàm conſanguinitatem coherceat, quod ſupra innui & accuratè probavi. Et cur non ægrè feram tot celeberrimorum Theologorum, in ipſo textu ſacro, optimè fundatam ſententiam, pipulo noſtri Bucholzii vapulare, quaſi ille ſolus ſapere didicirit contra illos omnes, quamvis linguam ſpiritus ſancti, linguam Pentatevchi intelligere, fundamentaliter non didicerit. Sed placeat ſibi in ſuperbâ illâ ſingularitate hic quinquercio. Per proximitatem carnis Moſen verſu ſexto ſolam ait intelligere conſanguinitatem cum ſuo Juris Reſponſo. Repoſui in conſideratione meâ hoc adſeri tantum, non autem probari. Ubi jam igitur manſit probatio? Dicit quidem Dn. Cenſor numero. 13. ſe non teneri ullâ diſputantium lege probare hanc negativam. Sed miſerè hic ſermocinatur, ſic ille loquitur numero 7. Se affirmare vel ſuſtinere, tantum per carnem carnis intelligi conſanguinitatem. En hic ſeſe ſiſtit affirmativa, quam tenetur probare Cenſor, quod cum facere non potuit, ludit ſuâ metamorphoſi, quâ affirmantem in negantem mutat, ciconiam in paſſerem. Hoc eſt latere & fallere. Si probare poſſet hoc ſuum thema. Per proximitatem carnis Levit. a. XVIII. v. 6. ſola intelligitur conſanguinitas, non ita lateret poſt carecta.

NUM. XIV.

Dicit mea obſcurra eſſe, nimirum illa. In Conſiderationis meæ numero 4. quæ per ſyllogiſmos in apricum ſunt deducenda.

Reſpondeo.

Legantur mea verba numero citato, in conſideratione, meaque tam clara ſũt, & exẽplis illuſtrata ex verſu decimo ſexto, ut puer iſta facilè intelligat. Syllogiſmũ cũ ſuo, nî fallor, inſignitũ ſibi ſervet Dn. Cẽſor, qui nõ eſt meus. Si ignẽ alunt Syllogiſmi Bucholzii, tot ſibi domum remiſſos inveniet, quod ad calefaciendum Muſeum requirere poterit Februarius glaciales gignens cruſtas. Succedat jam ſyllogiſmus meus.

Quæcunque cauſa generalis eſt omnium prohibitionum in Levitici capite XVIII. à verſu ſexto ad verſum 17. incluſivè, illa ita explicanda eſt, ut ſingulis prohibitionibus illis, verè ſecundum cauſalem, influxum poſſit applicari.

Major hæc eſt certa, alias enim cauſa generalis nō eſſet cauſa generalis.
Atqui proximitas carnis eſt cauſa generalis omnium prohibitionū &c.
Minor hæc vera eſt per textum verſus ſexti.

Ergò propinquitas carnis verſu 6. ita eſt explicanda, ut ſingulis prohibitionibus illis verè juxta cauſalem influxum poſſit applicari.

En! Reſponſum Juris per proximitatem carnis intelligit ſolam conſanguinitatem. Ergò malè hunc terminum intelligit, qui eo ſenſu non poteſt eſſe cauſa recenſitarum prohibitionum omnium. Rem in exemplis monſtrabo. Prohibetur Levitici cap. XVIII. à verſu ſexto ad decimum ſeptimum inter alias perſonas, fratria, uxoris ſoror, nurus, amita. In his prohibitis conſanguinitas nō eſt cauſa prohibitionis, quia in his nulla inveniri poteſt conſanguinitas inter partes contrahentes, quod nemo negare poteſt. Sed in his affinitas eſt prohibitionis cauſa. Ergò proximitas carnis includit etiam affinitatem. Cæterum prohibetur quoque mater, ſoror, filia, neptis &c. ſed hoc non fit propter affinitatem, quæ hic locum planè non habet, ſed propter conſanguinitatē. Ergò proximitas carnis notat hic conſanguinitatē. Et ut verbo dicam quod res eſt, proximitas carnis complectitur conſanguinitatem, quæ ex carnis propagatione oritur, & affinitatem, quæ ex carnis copulatione naſcitur. His ita confutatis, omnia illa ſpectra Domini Examinatoris ſe miſcent noctibus atris, usque ad numerum 18. Qui autem hoc numero 18. iterum naſcitur Syllogiſmus, ille primo intuitu Bucholzianus eſſe deprehenditur, cui ſuum remitto partum in totum. Qui autem ſurgit num. 28. ad hanc faciem is meus erit.

Ubi non tantum conſanguineæ, ſed & affines prohibentur, ibi cauſa generalis de proxima carnis non ducenda, etiam pertinet ad affines
Atqui in verſiculis 7. 8. &c. ad 17. in Levit, cap. XVIII, non tantum conſanguineæ, ſed etiam affines prohibentur. Ergò. Quid hic Cenſor?

Puerilem ac inſulſam affert inſtantiam, quaſi proximitas carnis, ſic etiam ad beſtias extendenda ſit, ſi generalis eſt cauſa omnim prohibitionum.

Reſpondeo.

Non de omnibus prohibitionibus usque ad finem capitis ſed de iis omnibus in verſu ſeptimo usque ad verſum 17. incluſivè ſermo eſt,

quod

quod quilibet vidit. In his autem verſiculis, de beſtiis planè non agitur. Et ſic Cenſoris ingenium in hac inſtantia non videò, ſed dolum inſipidum tantum video, qui ſubtilitatem nullam ſecum habet comitem.

Reſpondeo.

Negat proximitatem carnis pertinere ad omnes caſus

NUM. XXII.

Pertinet ad omnes illos caſus, qui prohibentur in verſu ſeptimo uſque ad verſum decimum ſeptimum incluſivè, quia in ſingulis illis prohibitionibus, hæc proximitas carnis cauſa eſt prohibitionis, quemadmodum Moſe dixerat verſu 6. Id quod ex Inductione patet ſi quando ſingulæ prohibitiones, earumque cauſæ, in ſingulis verſiculis examinantur.

NUM. XXIII.

Aſſerit proximitatem carnis non pertinere ad affinitatem.

Reſpondeo.

Hoc tantum ita dicitur, non autem ullo jota probatur. Luculenta, igitur eſt petitio principii. Interim contrarium à me ſupra probatum eſſe videt Dominus Cenſor. Quæ ſequntur, non merentur ullam reſponſionem.

NUM. XXVI.

Ita argutatur. Quæ ratio prohibendi, prohibitum matrimonium aliquando admittit, illa non eſt perpetua. Atqui ratio prohibendi Levitici cap. XVIII. verſu ſexto admittit prohibitum, ſive fratriam duci permittit. Devteron. Cap. XXV. verſu 5. Ergò, illa non eſt perpetua.

Reſpondeo.

Proximitas carnis, ſive arctior propinquitas ubi eſt, ibi nullum admittit matrimonium. Vide verſum ſeptimum usque ad verſum decimum ſeptimum Levitici cap. XVIII. nec ullam admittit fratriam extante prole. Nec illa proximitas carnis eſt cauſa illius permiſſionis quæ extat Devter. cap. XXV. verſu quinto, ubi duci fratria jubetur, ſed divina exceptio & permiſſio, quæ exſertis verbis ibidem extat, illa, inquam, eſt hujus conceſſionis cauſa, idque tantum in caſu deſideratæ prolis, de quo ſupra pluribus egi. Sic Dn. Cenſor aliquoties fallaciâ cauſæ ſophiſticè hic ludit. Quæ ſequntur ex verſione D. Lutheri Blutfreundin/ad illa nil ipſi repono. Ego enim hic diſputo ex textu originali hebræo, quem ipſe Spiritus ſanctus immediatè inſpiravit diſputo ex fonte Iſraelis, ad quem examinandæ ſunt omnes verſiones in dubiis. Interim Trenelii, Ariæ Montani, & aliorum verſiones laudo. Quid notet שאר בשרו (ſheer beſzro) Levitici cap. XVIII.

 verſu

verſu ſexto, Caro carnis, ſive carnis proximitas, quemadmodum rectè vertunt Interpretes, hoc quæro, & ſolidè cum Theologis probo, intelligi genericam propinquitatem, quæ & conſanguinitatem & affinitatem includit, quod jam ſupra evici. Utrobique enim Proximitas carnis eſt. Conſanguinitas, per carnis propagationem, affinitas, per carnis copulationem. Non enim conſanguinitas eſt ſine carne, nec etiam affinitas ſine carne eſt vel ſine carnis copulatione. Det Dominus Examinator ullam affinitatem absque præeunte carnis copulatione; Intendat omnes nervos ſui acuminis. In terim ſilebunt numeri Examinis usque ad numeros 32.33. Ubi mihi iterum ſyllogiſmum ſpurium affingit, quem dicit in nugando optimum eſſe id quod verum eſt, ſed faber hujus ſyllogiſmi Dn. Examinator eſt. Probet nunc per novum ſyllogiſmum Babylonicum, quod faber prioris ſit nugator quod facilè fecerit, hic enim via confragoſa non eſt, ſed plana. Sed cui bono hæ ſpinæ à Cenſore plantantur?

NUM. XXXIV.

Quæ hic Dominus Examinator proponit, frigidiora ſunt Gallicâ Petronii nive, quod videbit, ſi quis meam conſiderationem cum his conferat numero 7. fratri viventi dico fratriã prohiberi. Ille addit. De defuncto ſtolidus affirmet. Cur igitur infarcit hæc verba, cum nemo hoc affirmet? Scilicet refutat Examinator, quod in rerum natura non eſt, ut videatur & audiat Hic eſt, quod tamen in vitio poſitum eſt.

NUM. XXXV.

Alto ſupercilio hic refutat noſter Bucholzius, novus Levitici interpres & muſteus Commentator, Magnúm Theologum Gerhardum, de Eccleſia optimè meritum, qui ex Levitici cap. XVIII. verſu 17. ineptè probare intenderit, affinitatem quoque à Moſe vocari propinquitatem carnis Sic inferendo.

Filia privigni duci prohibetur, ideò quod illa ſit caro vitrici, patris ſui.
Atqui inter privigni filiam & vitricum patris ſui eſt affinitas.
Ergò. Affinitate ſibi conjuncti vocantur caro, ſive propinquitas carnis

Reſpondeo.

Verba D. Gerhardi legantur loco de Conjugio §. 258. *Adducimus inquit, locum alium, qui nullam patitur* ἔνστασιν (ſive inſtantiam) *de filia enim privigni & filia privignæ, quæ non niſi affinitate me attingit, dicitur Levit. c. XVIII. verſu decimo ſeptimo* שארה *Schaarah caro tua ſūt. Quoniã igitur maritus cum uxore fit una caro, ideò etiam conſanguinei uxoris, qui ſcilicet ſecundùm carnem eidem ſunt propinqui, & mariti affines redduntur, ejus caro vocan-*

vocantur. Huc usque D. Gerhardus. Ex hiſce verbis Dn. Examinator ſuum torſit ſyllogiſmum, obſcurum, quem relinquo qualis eſt. Ut perſpicuus ſim, Syllogiſmum ſic formo.

Inter quos eſt affinitas, inter illos etiam eſt ſchaarah caro, ſive proximitas carnis.

Atqui, inter filiam privigni & vitricum, eſt affinitas.

Ergò inter filium privigni & vitricum affines, eſt propinquitas carnis.

Major eſt ipſius Moſis Levitici cap. XVIII. verſu decimo ſeptimo Ubi vitrico prohibetur, ne retegat privignam, nec privigni aut privignæ filiam. Schaarah Propinquitas ſunt, ſcelus eſt. Minor, omnium eruditorum conſenſu certiſſima eſt. Ergò ſtat Concluſio, quæ eſt. D. Gerhardi adſertio, quod etiam inter vitricum, & privigni filiam ſit proximitas carnis. Quia inter has perſonas prohibetur conjugium. Et quidem propter proximitatem, quæ eſt inter has perſonas, quibus fit prohibitio quæ eſt Schaarah ſivè proximitas carnis, quemadmodum ex aliis verſiculis videre licet. Sed illa proximitas carnis hic erat affinitas. Levit. c. XVIII. v. 17.

NUM. XXXVI.

Adſerit Dn. Examinator, Moſen loqui de proximitate, quæ ſit inter privignum privignamque & matrem illorum, quam vitricus duxerit uxorem. Addit. Hæc eſſe tam aperta, ut rectâ ratione non exutus ea non poſſit negare. Contrarium autem affirmat. D. Gerhardus loco citato. Hunc locum Levitici cap. XVIII. verſu decimo ſeptimo dicit tàm eſſe evidentem, ut nullam patiatur inſtantiam. Hinc ſequitur juxta Syllogiſmum, quales aculeatos Examinator formare ſolet plurimos, quod D. Gerhadus ſit exutus mente, forſan hoc modo, & gyro ſyllogiſtico.

Qui negat verſum 17. dum vitrico prohibet privignam loqui de proximitate, quæ eſt inter privignum, privignam, & matrem illorum, ille rectâ ratione exutus eſt.

Atqui D. Gerhardns hoc negat, imò pernegat.

Ergò D. Gerhardus eſt rectâ ratione exutus.

Major eſt Bucholzii. Minor adſeritur à D. Gerhardo. Ergò ſequitur Concluſio Sic rectâ ratione carent, inſaniunt, cœci ſunt, qui negant, quod Dictator Bucholzius affirmat. His enim duris, ipſo Durando ſub marmore duro durioribus, & aculeatis loquendi formulis, paſſim utitur in ſuo examine, quaſi imperium habeat in omnes belluas. An autem ſit viri prudentis, judicent alii. Sed excipit Dn. Cenſor hoc numero, quaſi ego ſic argumentari voluerim. In hebræo eſt ſchaarah henrach. Propinquitas ſunt. Ergò rectè dixit D. Gerhardus, ibi

exiſtere

hæc verba ad vitricum & privigni filiam pertinentia, caro tua ſunt. Sed ineptam eſſe hanc ſequelam, quam qui non videat, cœcus ſit.

Reſpondeo.

Quod Dominus Cenſor peſſimè mea iterum depravet, videbit quilibet, qui ſupra legit Conſiderationem meam numero 10. Sic ibidem diſſero. D. Gerhardus, hebræum, quod extat verſu decimo ſeptimo Schaarah propinquitas, rectè reddit, caro tua ſunt. Nã Moſes per Schaarah ſive proximitatem verſu decimo ſeptimo idẽ intelligit, quod verſu ſexto per Scheer שאר בשרו *Beſaro)* per carnẽ carnis, vel proximitatẽ carnis intelligebat, terminos igitur eſſe æquipolentes. Perinde ergo eſſe, ſive dicas Schaarah, propinquitas ſunt, vel Scheer beſſro caro carnis ſunt. Hic ne verbum legitur de illâ quæſtione. Inter quas perſonas ſit illa propinquitas, de qua verſu decimo ſeptimo agitur. Hoc poſtea ſequitur. Hic tantum de verſione loquor, quam ipſe Cenſor ad probare cogitur numero 37.

NUM, XXXVIII.

Ita argutatur. Inter quas perſonas proximitas ſanguinis eſt, de illis loquitur Moſes verſu decimo ſeptimo. Atqui non inter matrem (vitricum) & filiam privigni ejus, ſed inter uxorem illius maris (vitrici) & filiam filii ipſius eſt proxima illa propinquitas. Ergò.

Reſpondeo.

Major eſt falſiſſima, quod patet non tantum ex verſiculo decimo ſeptimo, ſed etiam ex aliis verſiculis: Nam proximitas de qua Moſes hic loquitur, quæque matrimonium in hoc verſiculo prohibet, eſt inter retegentem & non retegendam, inter partes contrahentes. Sic retegens in verſu 16. eſt frater ſuperſtes, non retegenda eſt fratria, & ſic in aliis. Verſu noſtro decimo ſeptimo. Ne retegito, ne accipito ad retegendum. Hic retegens eſt vitricus, non tetegenda eſt privigna, & privignæ aut privigni filia, quod textus perſpicuis, verbis docet. Ratio igitur addita. Cur hic vitricum nunquam retegens & privigna ejusque filia nunquam poſſit eſſe retegenda, adeoque inter vitricum & privignam, inter vitricum & privignæ aut privigni filiam, retectio ſive matrimonium eſſe nequeat, id oſtendit ratio illa. Quia propinquitas ſunt, ſcelus eſt verſu decimo ſeptimo. Vel ex verſu ſexto. Inter vitricum & privignam & hujus privignæ filiam proximitas carnis eſt. Non queritur hic de proximitate inter mulierem & ejus filiam, illa mater eſt, hæc autem filia eſt, nec de muliere & privignæ filia: Illa avia eſt, hæc neptis eſt. Hic conſanguinitas eſt. Hæc autem conſanguinitas & ſubſequens matrimonium inter vitricum & matrem privignæ, ſtatim efficit arctiſ-

ſimam

ſimam affinitatem inter vitricum & privignam, inter vitricum & privigni privignæque filiam, quæ vocatur ſchaarah ſive propinquitas verſu decimo ſeptimo, proximitas carnis verſu ſexto, quæ carnis proximitas inter vitricum retegentem, & privignam ejusque filiam nõ retegendã, in hoc verſu decimo ſeptimo parit prohibitionem, non autem conſanguinitas inter matrem filiam & neptem, quæ perſonæ non egent prohibitione, ne ineant matrimonium, quod jam ante natura negavit. Hæc dicebat D. Gerhard, nullam patiuntur inſtantiam, nimis vera, certa ac perſpicua ſunt. Mirum igitur, quod ſolem in meridie ſolus non videat Bucholzius, quem lucentem vident cæteri omnes. Cujus error & falſa hypotheſis inde oritur, quod proximitatem carnis verſu ſexto ſe non extendere putat ad affinitatem, quod nullus dicet ac dicit, qui ſapit, quodque ſupra accuratius probavi nimirum quod proximitas carnis Levit c. XVIII. v. 6. ſit loco generis, quæ ſic ſe complectitur & conſanguinitatem & affinitatem.

NUM. XXXIX.

Inſtat Examinator: Dici verſu duodecimo. Ne retege, amitam tuam, quia propinquitas patris tui eſt, non autem dici, propinqua tua eſt. Et verſu decimo tertio dici. Ne retege materterã tuam, nam propinquitas matris tuæ eſt, non autem propinqua tua eſt. Sic in verſu decimo ſeptimo non dici, propinqua tua eſt, ſed uxoris tuæ.

Reſpondeo.

Inſolens eſt, talia afferri à viro Profeſſore, quæ ſtudioſo forſan ruborem aliquem incuterent. Audi quæſo gyrum conſequentiæ. Quæ eſt patris tui propinquitas (amita) non eſt propinqua tua. Quæ eſt propinquitas matris tuæ (matertera) non eſt tua propinquitas. Noſtri agricolæ, qui ligone & raſtris philoſophantur, ſciunt contrarium eſſe verum qui absque ullo gyro & impedimento colligunt hoc modo. Quia amita propinqua eſt patris tui, ideò eſt tua propinqua. Quia matertera eſt propinquitas matris tuæ, ideò eſt tua quoque propinqua. Conſulamus oculos Ne retege amitam NB. tuam. Ne retege materteram NB tuam. Erubeſcat Cenſor tàm prodigioſè falſa diſſeminare. Et quæſo ubi ſunt illa verba in verſu decimo ſeptimo privigna, ejusque filia propinquitas ſunt matris vel aviæ, quam vitricus duxit? Nullibi! Nobis igitur non licet eſſe tam audacibus, ut iſtiusmodi aliena textui infarciamus.

NUM. XL.

Dicit, me verſionem Junii & Tremellii impugnare.

Reſpondeo.

Legatur numerus XI, in conſideratione mea, ubi, Tremellium allego & laudo, qui exſertis verbis docet in eruditis ſuis marginalibus, hoc verſu

agi de affinitate, idque contra Bucholzium, quæ affinitas inter vitricum & privignã, inter vitricũ.&privigni privignæque filiã radices egit. Cur negat Cenſor, quod omnesqui volunt, in Tremellio legere poſſunt, ſingulis momentis, nec tantum apud illum, ſed etiam apud alios eruditos. Magna certè temeritas eſt, tam temerè me accuſare, quod Tremellium reprehendam, quem probo& allego.

NUM. XLI.

HicDn. Cenſor, reditque retrorſum ad num.9. Conſiderationis meæ, idque cancrino more. Rogo lectorem notet hic iterum candorem Domini Examinatoris (1) Me dixiſſe, ait, ſi textus rectè inſpicitur, ac ſi textus verſus (ſcilicet in aliam linguam) non ſit textus. Cum tamen dicam de inſpectione non textus, ſed textus NB originalis, quod è veſtigio depravat omittendo vocem originalis. (2) Me dicere, Dominum Cenſorem non poſſe textum hebræum inſpicere, quia ſit in jure exercitatus. At nemo tam ineptam rationem apud me inveniet. (3.) Me aſſerere neminem ex JCtis hebræa legere. Sed hoc in conſideratione meâ inveniet nemo. Falſa ficta ſunt omnia, id quod docebunt legentium oculi.

NUM. XLI.

Quantus, ait, faſtus, non Pagninus, non Tremellius, non Lutherus, ſed ego ſolus & D. Gerhard rectè interpretati ſumus textum Levitici cap. XVIII. verſu decimo ſeptimo.

Reſpondeo.

Doleo ſane intumè, & ὀλοψύχως, quod petulanter hæc fingat Dn. Cenſor, nullum enim jota hac de re in mea Conſideratione extat. Præterea malè Cenſor reprehendit D. Gerhardum, quod ſatis ſupra probatum eſt, nec poteſt ſe Cenſor defendere, ideò ineptiis illis ſtipatus in publicam ſcenam prodire audet. Pagninus & Tremellius rectè vertunt, quod proximitas ſit inter vitricum & privignam ejusque filiam quod apertiſſimè dicit Tremellius, quod Cenſor non vult intelligere, quod de affinitate explicat & intelligit Tremellius, & rectè contra Examinatorem.

NUM., XLV.

Sarcaſmos hic ejaculatur, ideo non meretur reſponſionem; reſpondi enim jam ante ad ea, quæ è Logicis probata ſunt ſolidiſſimè, de vi enunciatonis univerſaliter ac ſimpliciter negantis, quâ uxoris ſoror ſimpliciter, omni ſororio, & quidem omni tempore prohibetur, quæ Cenſor ſuo Goliathiſmo non proſtravit. Stuporem colligendi, quem mihi hic pro humaniſſima ſua ſagacititate tribuit Cenſor, eundem tribuit D. Chemnitio, D. Gerhardo, & cæteris Theologis, qui eodem modo mecum colligunt, & quidem optimè, quod ſatis probavi. Sed eruditi Goliathiſmum hunc parum

rum curabunt. Solus Bucholzius totam Europam acumine ingenii vincat, ad Viſurgim. Sit ita: Jam forſan contentus erit, ac ſatur laudis. Si vir cordatus eſſet,& ſapere didiciſſet, ad rem reſpondere debebat, non autem ſugillare ac perſtringere viros celeberrimos,quod quilibet, qui ſibi ſemitam non ſapit, nullo negotio facere poteſt.

NUM. XLVI. XLVII.

Doloſè iterum mihi hic affingit ſyllogiſmum, hoc modo. Quæ propinquitas eſt in verſu ſexto, eadem eſt in verſu decimo ſeptimo Levitici Capit. XVIII. Atqui in verſu ſexto eſt propinquitas propria, ſeu caro carnis. Ergò. Majorem autem dicit eſſe falſam. Nam verſum ſextum agere adſerit de conſanguinitate, ſed verſum decimum ſeptimum de affinitate. Et

NUM. XLVIII.

Quod falſo falſi inſimulaverim. Reſponſum Juris, quod dicit *NB nilminus in textu* verſu decimo ſeptimo legi quàm hæc verba caro carnis ſunt, quod falſi crimen per terminos æquipollentes non excuſetur.

Reſpondeo.

Si Dominus Cenſor contra Bellarminum ita diſputaret, quemadmodum contra me diſputat, illicò audiret, mendacium eſt Bucholzii: ſic enim ſæpiſſime hic Cardinalis ſuos ſolet beare opponentes. Sed abſit à me. Major, quam falſam eſſe dicit Cenſor, illa eſt falſiſſima & ineptiſſima. Conſentio! Imo quod plus involvit, hanc Majorem ego refuto. Dico enim ſupra in Conſideratione meâ numero 13. propinquitatem in verſu decimo ſeptimo naſci ex affinitate. Et paulò poſt. Proximitatem carnis, de quâ verſus ſextus agit, genus eſſe, & ſub ſe complecti utramque ſpecialem propinquitatem, ex conſanguinitate & affinitate enatam, utraque enim eſt proximitas carnis, illa ex carnis propagatione, hæc ex carnis copulatione oritur. Hæc diſputo contra majorem propoſitionem. Ergo illa mea non eſt, ſed turpiter ac doloſè mihi affingitur. Proximitas carnis in conceptu generali, quæ eſt in verſu ſexto, illa quoque eſt in verſu decimo ſeptimo & in omnibus verſiculis intermediis. At inde non ſequitur. Ergò in hoc vel illo verſu cauſa prohibitionis eſt conſanguinitas. Ergò in hoc aut illo verſiculo prohibitionis cauſa eſt affinitas. Poſitâ proximitate carnis generica verſu ſexto, ut ponitur genus, num ſequitur, illico poni unam aliquam ſpeciem. Animal eſt. Ergò bos eſt. Flos eſt. Ergò ſtatim roſa eſt. Sic in verſu decimo ſeptimo eſt proximitas illa generica, de qua verſus ſextus agit. Ergo ibi eſt conſanguinitas. In verſiculo ſeptimo eſt proximitas generica, de qua verſus ſextus agit. Ergo ibi eſt affinitas. Falſa omnia. Hoc igitur crimen falſi redit ad authorem. Et Major, ad ipſum redit quam refutavi, Et minor quam refutavi in Adſertione mea. Neutra mea eſt. Quod dicebat me falſo

allegaſſe Reſponſum Juris, æquo animo ferre poſſum, quia Dominus Cenſor me ſtatim liberat, oleoque ſcorpionis locum vulneris mungit quando ſcribit. Reſponſum Juris aſſerere. In verſu 17. nil minus legi, quam hæc verba, caro carnis ſunt. Idem ego allegavi candidè, & idem refutavi ſimul ſolidè in Conſideratione mea ſupra numero decimo. Oculorum judicium hic proſternit Examinator rem cum ſuo falſiloquio. Optarē, ne talia ulla in examine reperirem, ſic nulla mihi imponeretur neceſſitas indicandi & mōſtrandi, quid fiat. En! In verſu decimo ſeptimo extat vox ſchaarah iſtud eſt. Propinquitas. Ergo ibi non legitur de proximitate carnis, de qua verſus ſextus agit. Cum tamen hi termini æquipollentes ſint. Inter quos enim propinquitas eſt ſive affinitas verſu decimo ſeptimo, inter illos eſt generica carnis proximitas, de quâ verſu ſexto. Ubi bos eſt, ibi animal eſt, ubi lilium aut hyacintus eſt, ibi flos eſt, & ſic in cæteris hujus cenſus.

NUM. XLIX.

Non poteſt Dn. Examinator negare, quod in verſu decimo ſeptimo non extet affixum fœminini generis, quod ad matrem reſpiciat. Excipit tamen neque extare affixum maſculini generis, ut reſpiciat ad vitricum.

Reſpondeo.

Quod propriè hic agatur, de propinquitate inter vitricum & privignam, ejusque ac privigni filias. Hoc non opus eſt ex affixis probare, ſed ex aliis rationibus robuſtisſimis, quas ſupra propoſui, quodque videbit Cenſor in Conſideratione mea numero duodecimo. Prohibitio ſtat inter perſonas, quibus prohibetur matrimoniū. Sic etiā proximitas, cauſa prohibitionis, ſtat inter perſonas, quæ contrahere nō debent: Vitricus & privigna, vitricus & privigni privignæve filia prohibentur contrahere. Illa igitur proximitas, quæ inter has perſonas intercedit eſt cauſa prohibitionis primaria, non conſanguinitas inter matrem, filiam ac neptem.

NUM. LI. LII. LIII. LIV.

Hic Dn. Cenſor negare non poteſt, quod inſignis ille philologus Tremellius, quem Cenſor ſæpè commendat, & ad quem aliquotiès provocat, in ſuis margini inſcriptis commentariis in Levitici cap. XVIII. verſum decimum ſeptimum agi ſtatuit de affinitate cum D. Gerhardo, & aliis, cui cum nihil reſpondere poteſt, ſtatim Tremellium contemnit, perinde eſſe ait ſive faveat ſive non faveat. Reſponſo Juris, & ſimul eruditos viri hujus commentarios gloſſam vocat, idque ironicè. Hic cadit bonus Tremellius, quia contradicit Bucholzio. Hoc ſi non feciſſet, profectò ſemper magnus manſiſſet. Nihil hic reſpondeo ad inepta illa. Sed tantum ad novum

Syllo-

*S*yllogiſmum Domini Cenſoris. Cujus Major hæc eſt. Quæ propinquitas non poteſt dici affinitas, ſed cōſanguinitas, de illa agit verſus decimus ſeptimus. Atqui propinquitas inter matrem & neptem non poteſt dici affinitas ſed conſanguinitas. Ergò. Majorem dicit eſſe falſam, idem ego etiam adſero. Erit igitur hæc Major non mea, ſed Domini Examinatoris.

Reſpondeo.

Vix eſt ruſticus aliquis, rerum tam rudis, qui neſciat inter matrem & filiam, aviam ac neptem eſſe conſanguinitatem. Non opus erat hoc inculcare vitrico, quod omnes populi, Seres pictique Agathyrſi concedunt ac ſciunt. Nemo quoque ita plumbeus eſt, qui neſciat affinitatem naſci non poſſe abſque præeunte conſanguinitate. Niſi Livia eſſet ſoror, & proxima conſanguinea Tulliæ, nunquam inter Liviam & Tulliæ maritum Cajum ulla ſtare poſſet affinitas. Hæc lippis ac tonſoribus nota ſunt. Fruſtra igitur his ambagibus utitur Dominus Cenſor. Penſi ſaltim habeat propria ſua verba numero 53, Unde liquidum eſt, inquit, hanc legem Moſis verſu decimo ſeptimo prohibere matrimonium NB inter affines, nempe inter vitricum ejusque liberos ac neptes, & ſic non minus conſanguinitatis quàm affinitatis fieri mentionem in illâ lege. Dicat mihi an hæc prohibitio inter vitricum & uxoris filiam & neptem, habeat aliquam cauſam in verſiculo decimo ſeptimo expreſſam? Si negat, ipſum textum negat. Ibi enim extant verba propinquitas ſunt quæ prohibitionis cauſam exponunt. At hæc propinquitas inter vitricum & uxoris filiam ac neptes quæ perſonæ verſu decimo ſeptimo ſibi invicem prohibentur, non eſt conſanguinitas. Quod nec ipſe Cenſor affirmare auſus eſt, dicit enim verſiculum decimum ſeptimum prohibere matrimonium inter affines. Sed illa affinitas, quæ hic vocatur *S*chaarah ſive propinquitas, in genere, illa verſu ſexto appellatur in genere proximitas carnis. Hinc rectè colligebat Doctor Gerhardus cum Judicioſiſſimo D. Chemnitio & aliis Theologis, qui jure merito primorum principes audiunt, quod etiam in affinitate ſit proximitas carnis & quod terminus, ille genericus verſu ſexto non tantum conſanguinitatem, quod Dominus Cenſor voluit, ſed etiam affinitatem complectitur, quia propter affinitatem æquè matrimonia prohibet Moſes Levitici cap. XVIII. ac propter conſanguinitatem. Ergò arctior affinitas etiam eſt cauſa prohibitionis, & proximitati carnis verſu ſexto includitur, æquè àc conſanguinitas.

NUM. LV.

Suos iterum fabricat ſyllogiſmos. Major hæc eſt. Qui dicit propinquitas ſunt, is non dicit propinquitatem eſſe inter matrem & deſcendente

Reſpondeo.

Partum ſuum ſyllogiſtcum retineat Cenſor. Quæſtio hic non eſt, an inter matrem, filiam ac neptes ſit conſanguinitas, quod rudis intelligit plebecula. Sed an cauſa prohibitionis proxima & genuina inter affines, vitricum, & uxoris filiam ac neptes, quibus perſonis Levit. cap. XVIII verſu decimo ſeptimo prohibetur mire matrimonium, hæc ſit conſanguinitas adeo, quæ eſt inter matrem & deſcendentes. Hoc nego. Hoc ridiculum eſt. Conſanguinitatē intercedere non negatur inter matrem & filiam, nec negatur, affinitatem conjugis conſanguineos & conſanguineas præſupponere. Sed hoc negatur, quòd illa conſanguinitas ſit proxima cauſa prohibitionis inter vitricum, uxoris filiam & neptes, quippe quam nullus mortalium inter recenſitas perſonas reperire potuit; ſed affinitas hic eſt prohibens cauſa quæ quæ hic à Moſe intelligitur per vocem ſchaarah, nimirum propinquitas ſive affinitas inter illum vitricum & illas privignam & filiam intercedens. Hæc affinitas eſt nativa prohibitionis cauſa quæ inter prænominatas partes eſt, ob quam contrahere partibus non licet. Hæc peſſimè confundit Dominus Cenſor, ut Theologos liberè rideat ac rodat, quos tamen non intelligit. Quique rectè probant, quód per vocem ſchaarah ſive proximitatem carnis, hoc loco affinitas intelligatur & non conſanguinitas contra craſſum errorem Cenſoris.

NUM. LVI. LIX.

In fine redigit argumentum meum in gyrum Syllogiſmi, qui talis eſt. Inter quas perſonas, inquit, per naturam non poteſt eſſe matrimonium, de earum propinquitate non agitur in verſu decimo ſeptimo. Atqui inter matrem & neptes non poteſt eſſe matrimonium. Ergò de illarum propinquitate non agitur in verſu decimo ſeptimo. Dicit, me Majorem probare tali argumento. Verſus decimus ſeptimus agit tantum de illis perſonis, quæ poſſunt concumbendo ſcelus committere, Atqui mater & neptes hoc facere nequeunt. Ergò. Hinc provocat ad omnes homines non inſanos, an hoc argumentum, cujus concluſio cum prioris argumenti concluſione plane coincidit, Ma!orem probet! Tandem

NUM. LIX.

Novum addit ſyllogiſmum. Inter quas perſonas naturâ repugnante non poteſt eſſe matrimonium, de carnis propinquitate non agitur Levitici cap. XVIII. verſu decimo tertio. Atqui inter materteram & matrem meam non poteſt eſſe matrimonium. Ergo de propinquitate inter materteram & matrem meam non agit verſus decimus tertius. Major ſi vera eſt in verſu decimo ſeptimo adſertioni Moſis Ergó & mihi verſu 13. vera erit.

Mino-

Minorem adſertio maſculè probavit. Concluſio autem eſt evidenter falſa.

Reſpondeo.

Methodicè ac ſolidè ad ſingula reſpondebo (1) Vel tricies legi huc usq; de argumentis in gyrum ſyllogiſmi redigendis. Legi autem apud experientiſſimos Medicos, homines quosdam non quidem in gyrum actos, ſed rotarum celerrimas circum gyrationes fixo obtutu intuentes aliquando vertigine correptos corruiſſe. Multis ſyllogiſmis Domini Cenſoris hoc evenıſſe obſervavi, qui vertiginoſi jam corruerunt cum ſuis gyris ineptiſſimis. Multi etiam ex illis ob ſophiſticum gyrum Gyaris digni fuerunt, de quibus Inſulis Poëta.

Aude aliquid brevibus Gyaris ac carcere dignum. (2) Major ſyllogiſmi, quem ſuo more mihi Cenſor hic affingit, hæc erat. Inter quas perſonas repugnante naturâ eſſe nequit matrimonium, de illarum propinquitate non agit verſus decimus ſeptimus.

Reſpondeo

Legatur Conſideratio mea numero 12. ubi dico, verſus decimus ſeptimus loquitur de vitrico & privignâ filia, de perſonis, quæ prohibentur contrahere matrimonium. Hic igitur aliqua cauſa erit hujus prohibitionis proxima. Illa autem non eſt conſanguinitas illa inter matrem, filiam ac neptem, quæ prohibitione matrimonii non indigent, inter quos per naturem eſſe nequit conjugium. Videatur ſupra numerus 55. Ita igitur formandus fuiſſet ſyllogiſmus, ſi Examinator candidè agere didiciſſet

Quæcunque propinquitas planè deſideratur inter Perſonas, quibus prohibetur matrimonium, illa non poteſt eſſe proxima iſtius prohibitionis cauſa.

Atqui Conſanguinitatis propinquitas (inter matrem, filiam & neptem) planè deſideratur inter perſonas inter vitricum privignam ejusque filiam, quibus matrimonium verſu decimo ſeptimo prohibetur.

Ergò conſanguinitatis propinquitas (inter matrem, filiam & neptem) non eſt cauſa proxima prohibitionis inter perſonas, quibus verſu decimo ſeptimo prohibetur matrimonium.

Hic videt Cenſor dolũ ac ſophiſticationes ſuas, & gyros ac gyaros ſuorũ ſyllogiſmorũ, Videt conſanguinitatẽ, inter matrem filiam & neptẽ non impugnari. Sed hoc tantũ, quod illa nõ ſit proxima prohibitionis cauſa inter partes, quibus hoc verſu decimo ſeptimo prohibetur matrimoniũ. Major immota eſt. Quæ enim inter partes non reperitur propinquitas illa inter partes non prohibet matrimonium. Minor eſt immota, quã concedere Cenſor

Cenſor coactus eſt, numero 53 in fine. Stat igitur concluſio contra Cenſoris Goliathiſmum & Ironiam ſeſquipedalem. (3) Dicebat Cenſor me Majorem à ſe poſitam probare hoc argumento. Verſus decimus ſeptimus agit de illis perſonis, quæ poſſunt concumbendo ſcelus committere. Atqui id mater, filia & neptis non poſſunt facere. Hic ad omnes homines non inſanos provocat, non majorem à ſe poſitam non probaverim.

Reſpondeo.

Major erat Cenſoris falſa & inepta, quam repudiavi. Ergo illam non repudiavi. Quis enim probat quod repudiat? Syllogiſmus nullus eſt, ubi de Sinnah ſeu ſcelere loquor Si quis formandus, is exegeticus eſſet, nec Majorem probaret. Et quidem talis, quod quilibet videbit, qui legit Conſiderationem meam numer. 12.

Illa propinquitas, quæ eſt inter perſonas, quæ Sinnah ſive ſcelus committere poſſunt, quando contra divinam prohibitionem contrahunt, eſt cauſa prohibitionis in verſu decimo ſeptimo.

Atqui affinitas eſt inter perſonas, quæ Sinnah &c. contrahere poſſunt in verſu 17.

Ergo affinitas illa eſt cauſa prohibitionis in verſu 17.

Provocet jam Cenſor ad omnes homines non inanos, ſive ad non inſanientes, hoc enim addere præciſè erat neceſſariũ, & audiet ſe valdè inſanire circa ineptias juxta illud ex 1. Tim. c. VI. v. 3. 4. *Si quis* (*ἑτεροδιδασκαλεῖ*) diverſam doctrinã ſequitur, & non accedit (*ὑγιαίνουσ λόγοις*] ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & claris textibus Moſaicis. Is inflatus eſt, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones ac diſputationũ pugnas, ex quibus naſcitur invidia, contentio, maledicentiæ, quibus ſcatet examen Bucholzii. (4) Agmen poſtea claudebat hic ſyllogiſmus. Inter quas perſonas non poteſt eſſe matrimonium, de earum propinquitate non agitur in verſu decimo tertio. Atqui inter materteram & matrem non poteſt eſſe matrimonium. Ergò de illarum propinquitate non agitur. Puerilis ſophiſticatio, ſolidè jam refutata. Major enim eſt planè inepta. Non enim quæritur de propinquitate inter matrem & materteram verſu decimo tertio, ſicut non quærebatur de conſanguinitate inter matrem, filiam & neptem verſu 17. Sed quæritur quæ ſit cauſa prohibitionis illius, quæ perſonis recenſitis prohibet matrimonium. Hæc cauſa non erat conſanguinitas inter matrem, filiam & neptem in verſu decimo ſeptimo; ſed affinitas inter vitricum, privignam ejusq; filiam. Sic in hoc verſu decimo tertio inter matrem & materteram eſt quidem conſanguinitas, ſunt enim ſorores, quod fabri ſciunt & tutores & ſartores. De harum autem ſororum conjugio in verſu decimo tertio planè non agitur, quod natura non admittit. Sed de filio ſororis, cui prohibetur retegere materteram, quæ propinqua matris eſt, (propinqua

matris

matris tuæ eſt, id eſt, matris tuæ ſoror eſt) Hæc autem propinquitas inter matrem & materteram, non eſt eadem illa propinquitas, quæ eſt inter materteram & alterius ſororis filium, alias filius alterius ſororis eſſet frater materteræ ſuæ, ſicut mater ejus ſoror erat materteræ. Quod abſurdum eſt. Ergò illa propinquitas, quæ eſt inter ſororis filium & materteram, quæque oritur ex illa propinquitate, quæ eſt inter ſorores matrem & materteram, & proxima cauſa prohibitionis verſu 13. Sic illico cadit Cenſor cum puerili ſuâ ſophiſticatione, ſicut fagus turbine proſtrata. Quod num. 60. inquit, me confuſè de his differere, refutabit ipſa inſpectio cõſiderationis meæ numero 12. Cæterum numeri 61. & 62. nil novi habent.

NUM. LXIII. ad num. LXXXVI. & XCIII.

Labyrinthus hic aperitur de proximitate carnis, quid ſit caro mea, caro noſtra ſtylo ſcripturæ. Quid ſit eſſe in carnem unam, Geneſ. cap. II. quando maritus & uxor una vocantur caro. Quæ omnia in adſertione ſua Juris movit Cenſor, quæque nil faciunt ad rem. Satis enim conſtat, quod eadem ſit affinitas inter ſororium & de functæ uxoris ſororem, quæ erat inter fratriam & fratrem ſuperſtitem. Hoc eſt, de quo diſputamus, & quod argumento meo primo probavi ſolidſſimè. Hoc autem negat Dominus Cenſor, quod proximitas carnis verſu ſexto ſive affinitas verſu decimo ſexto ſit inter ſororium, & defunctæ uxoris ſororem, quod hactenus refutavi aliquoties. Alienus igitur eſt totus Cenſoris diſcurſus, quo propemodum replet quaternionem litera S. ſignatum. Cui lubet, conferat iſta Examinatoris cum Conſideratione mea, quam hic præmiſi ſub numeris 16. 17. 18. 19. 20. usque ad numer. 25. Et videbit ſophiſticationes opponi inanes, quibus tamen non poteſt refutare, quod ſororius & defunctæ uxoris ſoror ſtent in eâdem propinquitate, in qua ſtabant fratria & frater ſuperſtes. Quia autem hac ſua prolixitate nihil deſtruit, quod ad rem facit non attingo illud coagulum hujus quaternionis & ſequentis ad numerum 97. ad quæ facilis eſt reſponſio ex iis quæ expoſui.

NUM. LXXXXVIII. ad num. CVIII.

Hic Cenſor celebrem J Ctum Monnerum flagellat, qui aſſerit D. Lutherum veterem ſententiam de uxoris ſorore ducenda revocaſſe. At Monnerũ, ait, eſſe unum teſtem, quaſi non ſint plures. Monnerum falſum dixiſſe, propterea quia non dixit verum, revocationem non legi apud Lutherum.

Reſpondeo.

Nugæ ſunt. Notetur egregia probatio Cenſoris. Monnerum falſum dixiſſe facilè, inquit, probabo, quia non dixit verum, quid hoc aliud eſt quàm nugari. Præterea ex poſtremis ſcriptis D. Lutheri, Cenſor ne literam poteſt producere pro matrimonio cum defunctæ uxoris ſorore ſtabiliendo.

NUM. CIV.

Quando ipſi oppoſui Lutheri literas ad Spalatinum, in quibus prohibet matrimonium cum uxore patrui, ſyllogiſmum format hujus furfuris, cujus major eſt. Qui improbat hoc matrimonium, is revocat ſententiam quod Moſes non prohibuerit matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore. Sed quis ita colligit? Nemo! Si candidè vellet diſputare, Cenſor, Majorem ita formâſſet. Qui gradum improbat ſecundum in affinitate lineæ inæqualis, is magis improbat gradum primum lineæ æqualis in affinitate. Ad hoc autem frigidè reſpondet tandem numero 107. Matrimonium cum uxore Patrui eſſe prohibitum. Levitici cap. XVIII verſu decimo quarto. At matrimoniũ cũ uxoris ſorore noneſſe prohibitum. Inſulſa petitio principii. Contrarium enim ſatis probatum eſt ex verſu ſexto & verſu decimo ſexto. Nec ſtare potuit Dn. Examinator cum gloſſâ ſuâ Judaïca & Lojolitica in verſum decimum octavum infarcta, qui verſus ipſi non favet, quod ſatis evictum eſt, ſive quis primâ, ſive ſecundâ explicationem orthodoxam ſequatur, non ex cerebro, ſed ex textibus biblicis hauſtam.

NUM. CIX. usque ad num. CXX.

Se macerat Cenſor, ut reſcriptum Conſiſtorii Wittebergenſis, quod urget inter alios D. Gerhardus, quodammodo convellat. Jam Lutherum domi non fuiſſe adſerit, ſed Venetiis. Jam Dominos Conſiſtoriales has jam illas habuiſſe ita reſpondendi rationes, quas nullus mortalium unquam audivit, vidit, legit. Jam appellatum forſan fuiſſe ad Electorem. Egregiæ conjecturæ eorum, qui probare plane deſperant. Lutherum non vocaſſe priorem opinionem iterum affirmat. Tandem

NUM. CXXI.

Errans navicula Cenſoris nihil habet, quod mihi reponat. Quando dixi. Pono. Lutherus non revocavit priorem opinionem de uxoris ſorore licitè ducendâ. Hoc nihil ad rem facit. Quia Thaumaſiander Lutherus non ſemper remittit ad ſcripturam ſacram. Sed ibi hoc matrimonium eſt prohibitum. Reponit Cenſor. Matrimonium hocſine depravatione textus Moſaici in dubium vocari non poſſe. Uter autem noſtrum ſuam ſententiam ex verbo DEI probaverit, de eo judicium aliis committit. Idem & ego facio, & quidem libentius ipſa Lubentia. Conſtanter enim adſero, Dn. Bucholzium cum ſuis Judæis & Jeſuitis in univerſis Bibliis hebræis, in ullo originali textu, nullam pro ſe lineam, nullam alicujus textus voculam reperire, quâ hoc matrimonium probare poterit, quod propter eandem propinquitatem per neceſſariam conſequentiam prohibetur, dum fratria prohibetur. Et verſus decimus octavus ſi is de uxoris ſorore agit, quod quod Cenſor affirmat, ſimpliciter illa prohibetur. Et mulierem ad ſororem ejus non accipito. Pauſa!

CAPUT. 3.

CAPUT III.

In quo conſideratur capitis quinti membrum II. adſertionis mihi oppoſitæ, quod confutationem meam examinare conatur.

Adſertio.

Adſertionis verba omnia & ſingula hactenus præmiſi, in iis autem quæ ſequuntur hoc capite, non ſemper opus eſt tanto labore. Quamobrem liberior hic ero, & numeros Adſertionis ordine ſequar, prout in margine adſcripti ſunt. Numerus 1. nil contra me machinatur. Ergo prætereo ejus verba. Num. 2. ad Num. 6. ſic lego. *primo improbat noſtram Adſertionem, matrimonium hoc non eſſe prohibitum in lege divina, ex hac ratione, quod talis prohibitio non inveniatur in Lege Moſis, quippe, cujus Scriptura tantum probet, quantum loquitur & non ultra nec plusquam in eâ corporeis oculis legi poteſt, quodque tenor ejus demonſtrat. Hanc noſtram Adſertionem vacillare putas ex eo, quod quædam in S. Scriptura legi non poſſint, & tamen exinde per verum ſenſum & neceſſariam conſequentiam eruantur, quæ non nimis pro firmis ſint habenda, ac ea quæ litera ipſa externa proponit. Rem his exemplis declarare voluit: Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam. Omnes homines peccato originali contaminatos eſſe. In una eſſentia divina, tres diſtinctas perſonas eſſe, nullibi extare in S. Scriptura, ita ut oculis corporeis legi poſſit. Et tamen ſenſu & conſequentia ibi extare. Multa in Scriptura expreſſe, alia analogicè quædam explicitè, nonnulla implicitè, quædam γενικῶς, quædam εἰδικῶς, quædam αὐτολεξεί, quædam κατὰ πρᾶγμα contineri. Verum iſta informatione non erat opus ad negotium noſtrum plane incommoda & inapplicabili. Nec enim uſpiam dictum à nobis eſt, ex Sacra Scriptura nihil probari poſſe, niſi quod ſenſus monſtrat literis. Sed negavimus dari ullum in jure divino textum, unde vel per literam, vel per rectam conſequentiam probari poſſit. Prohibitio matrimonii cum defunctæ uxoris ſorore.*

Conſideratio.

Ordine progrediar (1) Si placet Lectori, diſcurſum meum legere, Gamol; pag. 411. 412. videbit, quod adſertio mihi oppoſita, ſuo lubitu libet, legat & alleget, quod placeat, & rurſus omittat, quod ipſi non eſt ad palatum. Omittit quæ ex Nazianzeno adducta ſunt, quæ ex Joh. c. V. v. 39. v. 48. Matt c. 21. v. 16. Pſalm. 8. v. 16. Matt. 22. v. 32. Exod. c. 3. v. 16. colliguntur &c. cõtra colloquium Durlacenſe, Hectorem, Pintum, Huntlæum & Bellarminum, ſed transeant (2.) Reſponſum juris affirmat, matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore, non prohiberi in lege divinâ, ex hâc ratione, quia hæc prohibitio non legatur ibidem oculis corporeis. Tantum, inquit, pro-

bat Scriptura, quantum loquitur, quod in S. Script. oculis corporeis cerni non poteſt, id in eâ non extat. Sed, nihil horum veritati litat, quod abundè probavi, quodque nullo verbo refutari potuit, niſi quod dicitur haut opus fuiſſe illa informatione. Atqui neceſſariò monendum erat, planè falſum eſſe, quod in Scriptura oculis corporeis legi non poteſt, id non extare in ſcriptura. Apage! Additur, non explicari hoc poſſe ad noſtram quæſtionem, de matrimonio cum defunctæ uxoris ſorore. Sed aſſertio hoc modo refutat ſe ipſam, quando falſam hanc theſin urget, & applicat quæſtioni noſtræ. Non legi in lege Moſaica corporeis oculis, defunctæ uxoris ſororem ſororio ſimpliciter prohiberi. Ergo non extat in Scriptura, nec per literam, vel rectam conſequentiam ex ea probari poteſt. Sic quivis videt quòd aſſertio ipſa, id quod malè aſſeruit, ex profeſſo quæſtioni applicet. Ergo hic nil applico, ſed applicationem refuto. En prohibitionem literaliter!

Et mulierem ad ſororem ejus non aſſumito. Pauſa!

Ratio quoque illa, quam Reſponſum Juris affert, nimirum, quod in Scriptura oculis corporeis cerni non poteſt, id in ea non extat, ut jam dixi, falſiſſima eſt, quod Studioſi Theologiæ ad unguem norunt. Ad oculum hoc oſtendi ex Joh. c.V. v.93.45. Thema erat. Jeſus Nazarenus eſt promiſſus mundi Meſſias. Judæi, hanc Theſin negabant, Chriſtus affirmabat, eosque remittebat ad Scripturam, ad libros Moſis, ex quibus hoc probari poſſe affirmat. Scripturæ teſtificantur de me, Moſes de me ſcripſit, & ſic theſis controverſa extat in Scriptura ex mente Salvaroris. At juxta Reſponſum juris hoc thema non extat in Scriptura, non extat in libris Moſis quia corporeis oculis nullibi hæc theſis legi poteſt in Scriptura. Sic mihi Reſponſum juris nullibi in Scriptura oſtendet verba hæc corporeis oculis lecta. In una eſſentia divina, tres ſunt diſtinctæ perſonæ. Quia autem hæc theſis corporeis oculis nullibi legitur in Scriptura. Ergo juxta Reſponſum juris hæc theſis non extat in Scriptura. Abſurda omnia (4.) pergit adſertio, ſe hoc intendere, nullum extare in Moſe textum, unde vel per literam, vel rectam conſequentiam probari poſſit, prohibitio matrimonii cum defunctæ uxoris ſorore. Reſpondeo. De corporeis oculis loquitur reſponſum juris. Tentet igitur, an hoc legi poſſit corporeis oculis Levit. c. XVIII. v.18. in authentico textu Heberino.

Et mulierem ad ſororem ejus non aſſumito. Athnah.

Qui negat, ſolem negat in meridie. Qui pauſam Athnach: hactenus nondum obſervavit in textu Hebræo, obſervet illam nunc corporeis oculis, habet enim figuram ſatis notabilem. Et ſic prohibitio matrimonii cum uxoris ſorore, in lege Moſaica, corporeis oculis legenda & lecta extat, & per

literam

literam probatur. Probatur etiam è textu per conſequentiam, quod ſupra, capite primo quodquè malè negatur ab adſertione.

SEQVITVR
EXAMEN CAPITIS III.
NUM. I & II.

At id, quod in allegatione Gamologiæ pleraque omiſerit Cenſor, Nazianzenum & dicta ſcripturæ, in quibus nervus adſertionis meæ latebat, ait ſe argumenta mea formare. Addit ſe non negaſſe, nimirum multa per bonam conſequentiam ex ſcriptura colligi, quæ corporeis oculis in ea non leguntur: Inde ait, non ſequi quod Gamologia rectè collegerit ex Levitici cap. XVIII. verſu decimo octavo nuptias cum defunctæ uxoris ſorore eſſe prohibitas, id quod in quæſtione fuiſſe affirmat. Cæterum illud Johannis capite V. verſu tertio ſcrutamini ſcripturas, Matth. 21. verſu 16. Pſalm. 8. de Hoſchianna. Matth. capite XXII verſu vigeſimo tertio Exodi cap III. verſu ſexto de reſurrectione mortuorum nihil huc facere aſſerit. Non enim quæri. An DEUS ſit DEUS Abraham? ſed an matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore ſit prohibitum! An hoc probetur ex ſcriptura.

Reſpondeo.

Hic hæret Dominus Examinator, quod dilucidè probabo. Reſponſum Juris hoc aſſerit: Prohibitionem matrimonii cum defunctæ uxoris ſorore non legi in ſcriptura. Ratio eſt. Quia tantum probat ſcriptura, quantum loquitur & non ultra. Nec plus quam in ea corporeis oculis legi poteſt, & quod tenor ejus demonſtrat. Provoco hic ad Examinatorem, dicat anne hæc verba extent in Reſponſo Juris numero 174. Non negabit. En! ipſemet affirmat hoc infra numero 3, eademque recitat verba Reſponſum Juris, quæ ego hic recito. Ipſemet hæc allegavit in adſertione ſua. Legatur utrumque, quilibet videbit, quod ne literam hic omiſerim. Reſpondi autem in Conſideratione mea hoc eſſe ſpiſſum falſum. Sciunt enim Theologiæ ſtudioſi hanc theſin, quod non poteſt corporeis oculis legi in ſcriptura, id non extat in ſcriptura, craſſum eſſe errorem. Videt ergo quilibet, quod hic non diſputetur de matrimonio cum uxoris ſorore, quod doloſè aſſerit Dn Cenſor, ut lateat; ſed an illa, quæ corporeis oculis non leguntur in ſcriptura, non extent in ſcriptura. Hoc abſurdum Examinatoris & Reſponſum Juris modeſtè refuto in Gamologia pag. 411. 412. Idque ex Johannis capite V. verſu 39. Quæſtio tunc erat inter Judæos & Mundi ſalvatorem. An Jeſus Nazarenus ſit Meſſias? affirmat Chriſtus, eosque remittit ad ſcripturã, quia illæ ſunt, quæ teſtificantur de me, quæ probant meam affirma-

tivā. At juxta Reſponsū Juris, ſalvator noſter hic malè diſputat, quia theſis illa Jeſus Nazarenus eſt verus Meſſias, corporeis oculis non poteſt legi in ſcriptura Moſaica. Ergò non extat in ſcriptura Moſaica. Quod non extat in libris Moſis, id ex Moſe non poteſt probari. Ergò ſalvator quod voluit, ex Moſe probare non potuit. Provocat igitur fruſtra ad Moſen, in quo theſis illa corporeis oculis non legitur; Tantum enim probat ſcriptura, quantum loquitur, & in illa corporeis oculis legitur. Quæſtio erat. An mortui reſurgant? Chriſtus affirmat & probat hoc ex loco Exod. cap. III. verſu ſexto. Atqui corporeis oculis in allegato textu non legitur. Mortui reſurgent. Ergò non extabat in textu. Ergò malè textum allegat Chriſtus juxta reſponſum Juris. Ego repono. Hæc themata extabant in ſcriptura, ſed per evidentem conſequentiam, qua optimè colligi poterant ex ſcriptura. Notari rogo, quia. Dn. Examinator ſentit ſe conſtrictum & victum hic teneri, & ſe craſſum erraſſe errorem cum ſuo Reſponſo Juris, nihilominus audet hoc negare, quod plerumque faciunt, qui nihil reſpondere ad rem poſſunt. Ego ex allegatis textibus probo. In ſcriptura extare etiam, quæ non leguntur in ea corporeis oculis, quæque per neceſſariam conſequentiam inde eliciuntur, quod ſanctiſſimus Salvator fecit. Ad quod Cenſor nil ſolidè reponit, ſed ictum declinat, & ſub ſuis umbris ad aliam quæſtionem properat.

Sub numero 3.4.5. Cenſor, quod negabat numero 1. hic iterum affirmat numero 3. velabitur ad bonam conſequentiam contra ſeipſum. Nam quod per conſequentiam probatur ex ſcriptura, non ſtatim oculis corporeis in illa legitur. Dicit Cenſor reſponderi poſſe, quod non legitur corporeis oculis in ſcriptura, hoc nō extare κατὰ ῥυτὸν vel quoad verba expreſſa. Pucrilis reſponſio. Hoc non erat in quæſtione, omnes hoc ſciunt, quod nō legitur in ſcriptura, non extare expreſſis verbis. Sed hoc quærebatur. An Reſponſum Juris rectè dixerit. Tantum probat ſcriptura, quantum loquitur NB. non ultra. Tantum probat ſcriptura NB. nec plus, quam in ea corporeis oculis legitur. Apage! Satis eſſet tam craſſum errorem agnoſcere, quam ita ineptè palliare. Sed hoc criſtæ non permittunt. Infallibilis eſt Cenſor, ſicut Pontifex Romanus.

NUM. V. VI. VII.

Repetit illa de Athnach inani tavtologia, ad quæ ſatis reſponsū eſt ſupra,

NUM. VIII.

Negat ſe ſcripſiſſe, quod in ſcriptura corporeis oculis legi non poteſt id non extat in ſcriptura. At contrarium legi poteſt, quod jam allegavi. Tantum probat ſcriptura, quantum loquitur NB. nō ultra, NB. nec plusquam

quam oculis corporeis ibi legi poteſt. Si non plus probat, nec ultra id, quod oculi legunt. Ergo illud non probabit, nec illud extabit in ſcriptura, quod non loquitur, quod oculis corporeis in illa non legitur ibidem. Si non plus probat, quam oculis corporeis legitur in ea; ſequitur omnia probata per evidentem conſequentiam non eſſe probata per ſcripturam. Sic ſe macerat Dominus Cenſor, & variè ſe vertit, ut elabi queat, ſed fruſtra. Hæret & hærebit.

NUM. X.

Contra diſtinctionem biblicam iterum inſipidè inſurgit, ad quæ ſupra reſpondi, quamque diſtinctionem oculis ſuis corporeis Levitici cap. XVIII. verſu decimo octavo legunt omnes illi, qui hebræa legere poſſunt, quæque ante cunas ac crepundia Bucholzii ibidem obſervata eſt, & forſan poſt funus ac cineres hujus viri ibidem obſervabitur, quia nullus apex de lege peribit.

Aſſertio à n. 6. ad n. 16. incluſivè.

QUæ ſequuntur Num. 6. ad n. 16. incluſivè, non indigent accuratiori Anatome. Differunt enim de priori themate, nimirum, prohibitionem matrimonii cum uxoris defunctæ ſorore, ex nullo textu divino, vel per literam, vel per rectam conſequentiam, probari poſſe, cujus falſitatem ipſe textus Levit. c. XVIII. v. 18. lectus & diſtinctus luculentè oſtendit. Aſſertio autem contrariam ſententiam per notiſſimas regulas & Brocardica juris probare aggreditur, ut evincat hoc thema. Quod in Scriptura oculis corporeis cerni nō poteſt, id in ea non extat. Sed hoc eſt cataplaſma Jeſuiticum etiam à Bellarmino allatum *lib. 1. de Matrim. Sacrament. §. Seû contra c. 27.* pag. 1593. Edition. Lugdun. per pillehotte. Reſpondeo. Regulæ juris & Brocardicum illud, quod odioſa ſint reſtringenda, quibus odioſis accenſentur leges prohibentes, quæ non ſint laxandæ, ut loquitur Bellarminus, hæc ut locum forſan habent in legibus humanis, ſic in Scripturæ interpretatione, nobis nullo modo præſcribunt regulas, quippe, quæ ex ipſa Sacra Scriptura depromuntur, non autem ex jure humano. Abſurdum enim eſt eſt, divina Myſteria, eorumque expoſitionem accurratam, humani juris decempeda menſurare velle. Magna autem hæc eſt μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Magnus Icari volatus, ab humi naſcentibus fragis, ad ſumma illa tranſcendentia. Et applicatio Brocardici juris, ad ſenſum principii primi ἀναποδείκτου καὶ ἰδιοπίστου nimis mira eſt & miſera. Prætereo hac vice multos textus Propheticos & allego duntaxat aliquos verſiculos ex *Matt. c. V. v. 21. & v. 22* *Audiſtis, quod dictū ſit veteribus, Nō occides, quisquis autē occiderit obnoxius erit judicio: Quicunque vero dixerit Fatue, obnoxius erit Gehennæ incendio.*

cendio. Et paulo poſt: *v.* 27.28. *Audiſtis, quod dictum fuerit antiquis, non committes adulterium. At ego dico vobis quod quicunque aſpexerit uxorem ad concupiſcendum eam, jam adulterium cum ea commiſſit in corde ſuo.* Hæc Criſti expoſitio quinti & ſexti præcepti, apertè impingit in Brocardicum juris, quod nemo inficias ire poterit. Ergo Salvator noſter juxta adſertionem mihi oppoſitam, malè interpretatur leges illas prohibentes. Nuſpiam enim in Moſe legitur, qui fratri iraſcitur obnoxius erit judicio. Qui ad concupiſcendum aſpexit mulierem in corde commiſit adulterium. Nulla de his litera extat. Reſtringi igitur, non autem ampliari debuiſſent illa, quæ corporeis oculis in Moſe non leguntur. pulchrè! Non capto igitur verba, ut adſertio dicit, ſed ad argumenta ſolidè reſpondeo. Numerus 12. textum monſtrari vult, qui prohibet matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore, Sed illum vel tricies oſtendi ex Levit. c. XVIII. v. 18. Numero. 15 mihi affingitur illatio â diſſimilibus, quaſi ſic concludam. Articuli iſti fidei per conſequentiam ex Scriptura probantur. Ergo etiam hujus matrimonii prohibitio. Nunquam autem talis illatio mihi in mentem venit. Tantum oſtẽdo, articulos aliquot religionis Chriſtianæ, qui quo ad verba, quæ corporeis oculis legi queant, non extant in Scriptura, ut deſtruam falſam illam hypothesin. *Quod in Scriptura oculis corporeis cerni non poteſt, id in ea non extat.* Refuto tantum, nullibi autem illud infero, quod mihi malè affricat Adſertio. Oſtendere mihi debuiſſet paginam, locum, caput, paragraphum; Sed hic ſilentium eſt, plusquam pythagoricum. Probavi matrimonii controverſi prohibitionem claris verbis. Probavi eam per conſequentias, ſed longè alias, ſuprà cap. 1. ſi adſertio illationem illam, quam mihi allinit, ex toto illo capite oſtenderit pulcherrimam Phyllida habebit cum Bonefonii Pancharide. Verum.

Non obtuſa adeò geſtamus pectora Pani!

Sequitur Examen cum notis.

Nihil hic refutatione dignum reperio. Leges prohibentes, inquit, non eſſe laxandas ſive ampliandas, quod Brocardicum Juris non admittat, ſed iſtud refutavi ex Matth. cap. V. ubi ſatis ampliat Salvator noſter præceptũ quintũ non iraſcendũ; non dicendũ Raka; nõ dicendũ Fatue. Dominus Examinator excipit. Diſtinguendum eſſe inter Chriſtum Legislatorẽ & Juris Conſultum. Ergò, quia Chriſtus JCtus non eſt, ſed Legislator, ideò explicabit & ampliabit leges Moſaicas. Miſera exceptio! Cætera frigent ſub Antarcctico!

Aſſertio â n. 17. ad n. 27. incluſivè.

NUm 17. Verba illa, **ihr zu wider weil ſie noch lebet/** non ſunt

fruſtrà

fruſtra poſita. Conceſſi. Sed dico nō ſequi. Ergo hoc ſenſu ſunt poſita, ut tuto ſic colligere liceat. Non duces uxoris ſuæ ſororē ne exacerbetur 3. Ergo ducere eam tibi licebit ſi amplius exacerbari non poteſt, nimirum, cum nulla amplius ei ſalit arteria. Non duces tuæ uxoris ſororem, dum uxor tua in vivis eſt. Ergo licebit tibi eam ducere, cum mortua eſt. Aſſertio regerit. *Iſta Argumentatio non eſt noſtra. Cur verò hoc non ſequitur? Quod propter vitam uxoris eſt prohibitum, id propter ejus mortem, eo ipſo non eſt prohibitum. Quod non prohibitum, id cenſetur conceſſum.* Reſpondeo. Aſſertio audet dicere. Hæc argumentatio non eſt noſtra. Et tamen non oſtendit aliam argumentationem, nec aliud quid, quod voluerit, tandem colligere ex verbis allegatis. **Ihr zu wider weil ſie noch lebet.** Statim autem vertit velum, & dicit, *cur verò hoc non ſequitur?* (Scilicet uxoris ſororem ducere) propter vitam uxoris eſt prohibitum. Ergo id, (ſcilicet uxoris ſororem ducere,) propter ejus mortem non eſt prohibitum. Sed idem argumentum eſt, ſive illis verbis jam citatis efferatur, ſive his verbis proponatur. Non licet ſororem uxoris ducere, dum uxor vivit. Ergo licet ducere ſororem ejus, quando vivere deſiit, vel *illa amplius non vivente*, quibus verbis utitur Aſſertio Num. 29. 30. Quod tam perſpicuum eſt, eandem utrobique proponi argumentationem à contrario ſenſu, licet verba ſint diverſa, ut nequidem in Logicis hoſpes illud in dubium vocare queat. Nec ipſa adſertio, niſi verborum ſuorum N. 18. N. 29. 30. velit oblivíſci. Ergone idem ſenſu, re, ac ſcopo argumentum, eſt noſtrum, & non eſt noſtrum. Profectò, ſi prius eſt veſtrum, Ergo & poſterius eſt veſtrum, quia idem eſt reipsâ, vel oſtendatur, in re aliqua differentia, quæ tamen oſtendi nunquam poterit. Cæterum, quando adſertio ita loquitur. *Quod propter vitam uxoris eſt prohibitum, id propter ejus mortem eo ipſo non eſt prohibitum.* Valde mihi transmarinum videtur, nimirum uxoris ſororem ducere, ſororio prohibitum eſſe, propter uxoris vitam, quaſi hæc vita ſit cauſa prohibitionis hujus. Tale quid non legi in totâ Scripturâ Sacra in hoc rerum genere. Aliam cauſam lego Levit. XVIII. v. 6. Nullus homo ad ullum propinquum, vel propinquam carnis ſuæ accedat. Nimis igitur propinquitas cauſa eſt genuina omnium ferme prohibitionum in hoc capite, & ſimul in hoc loco de uxoris ſorore non ducenda. Quod autem in allegato capite Levitici eſt prohibitum, illud non mutatur per mortem in conceſſum. Cum mors non tollat ullam proximitatem. Propinquitas inter patrem & filium, inter fratrem & ſororem, inter ſororium, & uxoris defunctæ ſororem, qualis fuit in vita, talis manet poſt mortem. Abel eſt filius Adami, & Adam Abelis pater ſive alteruter, ſive uterque, vel vivat, vel moriatur. Quod non eſt prohibi-

tum inquit Aſſertio, id cenſetur conceſſum, quod in Reſponſo Juris ſit probatum, & contra adverſarii argumenta, ſtet firmis pedibus. Fiat applicatio. Et mulierem ad ſororem non aſſumito. Athnah! Hic abſolutè & univerſaliter, & ſic omni tempore ſororio prohibetur uxoris ſuæ ſoror. Ergò conceſſio imaginaria, hic planè amiſit ſuos pedes, Num. 20: Illatiò, inquit, *Si non exacerbatur uxor, non prohibetur ejus ſoror duci, non eſt noſtra.* Quidni! Nam aſſertio urget verba, **Jhr zu wider weil ſie noch lebet**. Poſita, exacerbatione, & vita, prohibetur uxoris ſoror duci. Remota exacerbatione, & vita uxoris, conceditur ejus ſoror duci, per Argumentum à contrario ſenſu. Hoc utramque facit paginam in Reſponſo Juris, & adſertione quod paulò ante oſtendebam ex Num. 18. & 29. 30. Ergo argumentum hoc eſt argumentum ipſius adſertionis, non autem eo ſenſu meum; quippe qui hoc argumentum oppugno. Sequitur Num. 22. *me continuare paradoxa mea, quando Polygamiam ex hoc argumento probari poſſe dico. Me autem modum probandi non monſtrare. Non ſequi. Poteſt ducere ſororem uxoris defunctæ. Ergo poteſt plures uxores ducere ſimul, a baculo ad angulum* Reſpondeo. Hæc argumentatio in totâ Gamologia mea nuſpiam extat, lubens ergo eam remitto ad baculum & angulum ut vapulet & lateat. Quod dicebatur, me modum probandi nō oſtendiſſe, id falſum eſt, oſtendi Gamol. lib 2. tit 5 pag 413. Et eſt illa ipſa illatio, non alia quam aſſertio, licet non plenè repetit ex Gamologia N. 24. ſqq; hoc loco. Pono Caſum. Detur aliqua ſoror, quæ non adeò caleat, quæque modeſta ſit & placida, ac ſe in eodem thalamo ſororem ferre poſſe adſerat, qualem reperiri poſſe, ſub ſole, ipſa teſtatur experientia. In tali caſu exacerbatio non inveniet locum. Ergo nec prohibitio limitata, quæ fingitur. Non duces uxoris ſororem ad laceſſendum eam. Ergo, ſi placuit ſororio, propter exacerbationem tanquam prohibitionis cauſam, in hoc caſu ceſſantem, liberrimè alteram ſuperinducet ſororem, dum vivit prior, quæ eo facto non movetur. Et ſic probatur Polygamia ex ceſſante commentitia prohibitione reſtrictiva. Nonne hic oſtendi modum probandi? Sed quid ad hoc aſſertio? Ita reſpondet, ſufficit nobis iſta Dei prohibitio, ſi ea non ſufficit adverſario, hoc nihil ad nos. Verum, hæc reſponſio argumentum planè non attingit. Tandem aſſibulat, *incertum eſſe, fœminam tam modeſtam dari, quæ non affligatur tali matrimonio, imo ex præſumtione Juris impoſſibile.* Sed experientia docet contrarium, præſumptio temperamenti algentis ac phlegmatici, ex Medicina forſan vinceret, præſumptionem ex Jurisprudentia. Quod quis ferre poſſit vel non poſſit, temperamentorum & ingeniorum oſtendit diverſitas, non autem nuda ac generalis præſumptio Juris, quæ in temperamentum & *ἰδιοσυγκρασίαν* hominis nil habet Juris, & ibidem nil emollit, nil exaſpe-

aſperat. Sequitur ex exemplum Jacobi, N.26. N.27. dicitur me criminari Jacobum, pejus culpam rejicere in Labanum. Reſpondeo, Jacobus nō fuit ſine peccato. Duo erunt in carnem unam, uti Deus præceperat, non autem tres. At Laban veterator decepit multoties virum Sanctum, & & ad Polygamiam nequiter eum induxit. Miror adſertionem; quæ hoc carpit, quod culpam rejiciam in Labanum. Legat igitur Theologos, qui de conjugio ſcripſerunt, & in Geneſin commentati ſunt, imo legat ipſum textum Biblicum, & videbit, quam craſſè impingat, dum me hic reprehendere audet. Si mei lubitus eſſet, remitterem ad Patres, ſed res nimis eſt clara & cuivis obvia. Quod addit. Jacobum placuiſſe Deo & fuiſſe polygamum, ſimulque inceſtuoſum, quæ duo, cum ſe inviciem non patiantur, ſequi Jacobum non fuiſſe inceſtuoſum, aut inceſtum non eſſe peccatum. Hoc autem dum falſum, Ergo iſtud verum. Respondeo. Hic diſcurſus nil facit ad quæſtionem noſtram; an quis defunctæ uxoris ſororem ducere, aut ſi duxerit, bonâ conſcientia eam retinere poſſit? Negatur illud propter prohibitionem univerſalem. Et mulierem ad ſororem non accipito. Ex lege hac judicandum, juxta tritum ſermone verbum. Non exemplis ſed legibus. Non occides, lex eſt. Hæc lex damnat exemplum Cain, & literas Davidis, quas Uriæ dabat. Facta & exempla ad legem ſunt revocanda, tanquam ad normam. Non autem lex cedere debet exemplis. Probemus furtum exemplo Iſraelitarum vaſa argentea auferentium. Probemus concubitum cum filiabus exemplo Lothi vino calentis.

Leges autem ſinamus ire cubitum, ut ſuaviter dormiant, cum ſeptem dormitoribus in ultimo ſeptentrione, & egregii erimus diſputatores, Exempla Patriarcharum, aberrantium in Bibliis extant, ut caveamus non ut imitemur, pariunt concluſionem negantem. Non facies idem; non affirmantē, & ad idē ſe factū accingentem. Et qualis ſequela, quam Aſſertio texuit? Jacob placuit Deo. Ergo non fuit Polygamus, & inceſtuoſus. Jacob Deo placuit hoc verum eſt, ſed Jacob propter Polygamiam Deo placuit, Hoc falſum eſt. David placuit Deo, ſed propter homicidium & adulterium non placuit Deo, Non ergo confundamus diſtinguenda.

Inter ea, quæ numero 1. usque ad numerum 7. leguntur. nil invenio quod reſponſionē flagitat, Niſi quod numero 7. notandus eſt error Domini Cenſoris, ubi ſtatuit vitam uxoris eſſe cauſam prohibitionis Levitici cap. XVIII. verſu, decimo octavo. Hoc nego, & adſero, quod propinquitas prohibens fratriam verſu decimo ſexto eadem ſit propinquitas inter ſororem uxoris & ſororium, quæ etiam hic prohibeat.

NUM. VIII.

Ait Cenſor, quod Levitici cap. XVIII. verſu non legatur de uxoris ſorore, ſed de proxima carnis.

Reſpondeo.

Solidiſſimè ſupra probavi, quod affinitas etiam ſub proximitate carnis contineatur, & quod Moſes etiam propter affinitatem quædam matrimonia ſeverè prohibeat Levit. cap. XVIII.

NUM. IX.

Arrodit, quod aſſerui, Mors non tollit propinquitatem, quæ eſt inter propinquos & propinquas. Ergo manet etiam propinquitas prohibens inter ſororium & uxoris ſororem, ſive vivat, ſive moriatur uxor. Noſter Cenſor hic pueriliter ſophiſticatur. Mors nullam mutat propinquitatem. Mors mutat quoddam Levit. cap. XVIII. prohibitum in conceſſum.

Reſpondeo.

Hæc minor falſa eſt & abſurda. Norunt id omnes eruditi, quod mors ſemel à Moſe prohibitum matrimonium, propter arctiorem propinquitatem, illud non mutet in conceſſum. Minorem probabit Cenſor per hunc medium terminum, Quia mors mariti ſine prole nuptias cum fratria prohibitas Levit. cap. XVIII. mutat in conceſſas. Deuteron. cap. XXV. verſu quinto.

Reſpondeo.

Diceret forſan vir eruditus: Falſum eſt, quod mors hoc faciat, ſed hoc facit deficiens proles. Ego autem ſimpliciter dico, Mors non facit hoc ſed divina voluntas exſertis verbis hunc caſum deſideratæ ſobolis excipiens, & in ſolo hoc caſu matrimonium hoc claris verbis concedens.

NUM. X.

Quæri ait Cenſor. An propinquitatis duratio poſt mortem ſemper impediat matrimonium, quod ſe negare ait ex jamjam allegato Deuteron. cap. XXV. verſu quinto.

Reſpondeo.

En vertiginem Cenſoris. Ante dicebat mortem mutare quoddam prohibitum in conceſſum, ſcilicet Deuteron. cap. XXV. verſu quinto. Jam dicit, novo ſtylo propinquitatis durationem non ſemper impedire matrimonium. Supra reſpondi, proximitatem inter fratriam & fratrem ſemper impedire hoc matrimonium extante prole. Quod autem non impediat matrimonium inter has perſonos in Deuteron. cap. XXV. id non fieri, quaſi proximitas pariat hunc ſuſpenſionis effectum, ſed divina exceptio

ptio&clara conceſſio. Hanc mihi Dn. Cenſor oſtendat in caſu matrimonii cum defunctæ uxoris ſorore. Quod non poteſt facere, nec facturus eſt unquam.

NUM II

Dicebat Cenſor. Quod non eſt prohibitum, hoc cenſetur conceſſum. ſtatim hic me pungit, quod deſpiciam hanc probationem, quia cauſas matrimoniales ad divina myſteria referam.

Reſpondeo.

Crimen falſi hic Cenſor committit, quod luculentè probabit numerus quartus Conſiderationis meæ, ubi hâc de re nullum verbum legitur. Erubeſcat. Quod prohibitionem attinet defunctæ uxoris ſororis, illa prohibita eſt Levit. cap. XVIII. verſu decimo ſexto per neceſſariam conſequentiam Porro Athnach vocat elumbe.

Reſpondeo,

Meminerit hanc diſtinctionem ſibi in faciem contradicere, omnesque Jeſuiticas conſequentias proſternere. Hinc illa plumbea ira adverſus Athnach, quod tamen Bucholzius non movebit loco ſuo, & ſi totum ſeculum irarum fluctuet æſtu.

NUM. XII.

Illud matrimonium urget. Quoties laceſſi poteſt uxor per matrimonium cum ſorore, toties illud matrimonium eſt prohibitum, At laceſſi poteſt, donec vivit. Ergo.

Reſpondeo.

Falſa eſſe omnia. Uxoris ſororem ſimpliciter ſororio prohibitam eſſe. Et mulierem ad ſororem ejus non accipito. Si de ſorore propriè dicta agitur verſu decimo octavo cap XVIII. Levitici. Aliud eſt. Non accipito, quod biblicum eſt. Et aliud eſt, Non accipito ad laceſſendum, quod cerebri commentum eſt.

NUM. XIII.

Vexatio ſive afflictio dicitur eſſe cauſa prohibitionis.

Reſpondeo.

Cauſa primaria eſt proximitas inter ſororium, & uxoris ſororem ex verſu ſexto. Afflictionem pertinere ad cauſam ſecundariam & domeſticas rixas.

NUM. XIV.

Tumultuatur, quod à me dictum fuerit, ſi ſoror aliqua tàm ſit placida, ut ferat alteram ſororem in thalamo, in hoc caſu ob deficientem prohibitionis cauſam quam fingit Cenſor, polygamiam ſequi ac defendi poſſe.

Cui ille ſarcaſmos opponit ſuo more. Eodem numero dicit Cenſor, Jacobum non commiſiſſe inceſtum, ſe autem hanc negativam non teneri probare.

Reſpondeo.

Retineat ſuum Cenſor privilegium ſcribendi, ſed non prabandi, quod ſcribit. Egregiū aſylum! Dicit me argumentari. Qui nō eſt ſine peccato. Ergò. Reſpondeo. Nihil de hâc inepta illatione legitur in Conſiderationes meâ. Vide numerum 7. Sic falſa Cenſor affingit, quando vera refutare nequit. idque in proprium dedecus quod doleo, quando ſe ita it perditum.

NUM. XV.

Negat Gen. cap. 11. verſu vigeſimo quarto prohiberi polygamiam

Reſpondeo.

Qui ſic inſtuit conjugium, ut fit inter unum marem unamque fœminam, ille plures fœminas & ſic polygamiam non admittit in Conjugio. Atqui DEUS ſic inſtituit Conjugium, ut ſit inter unum marem & unam fœminam, Ergò! Hoc ſyllogiſmo proſtratæ cadunt ineptiæ & figmenta Cenſoris, quæ ſparſit hoc numero 15. Ubi notari peto, quod dicit. Nemo exiſtimavit Jacobum eo tempore, quò fuit cum Rachele in carnem unam. NB in unâ operatione carnali ad ſobolem procreandam, fuiſſe tres carnem unam.

Reſpondeo.

Gaudete polygami Turcæ, Tartari. Excuſat enim vos D. Bucholzius in Erneſtina illuſtri, quia quando decem uxores habetis, & rē habetis cū tertia, eodē tempore & actu non habetis rem cum uxore quinta, ſi cum ſexta, non cum octavâ. Et nunquam ſimul tres vel quatuor ſunt in carnem unam, in congreſſu conjugali, ſed ſemper duæ perſonæ, teſte Aſia & Europâ cum Africa & America. Quis ergò vos accuſabit ex Geneſ. cap. II. propter Polygamiam. Ergò non peccatis contra primam inſtitutionem Conjugii, quia juxta locum Geneſ. cap. II. ſemper duo eſtis in carnem unam, quamvis decem alitis domi veſtræ uxores. Legite hic pag. 166. examen Bucholzii. Porrò, inquit, maritus, qui rem habet cum ſcorto, interea una caro manet cum uxore. Pulchrū ſi verum. Jacobum polygamum fuiſſe Cenſor concedit. Ergò! Jacobus non peccavit contra primam inſtitutionem conjugii Lepidè. Polygamus fuit Jacob, ſed non inceſtuoſus. Quaſi non ſit inceſtus uxoris ſororem contra divinam prohibitionem ducere, & ſic utramque ſororem cognoſcere. Illa ſpongia de jure naturæ in linea recta non eluet hanc maculam.

NUM.

NUM. XVI.

Se corrigit Cenſor & concedit, quod Laban Jacobum deceperit. Dicit me colligere Laban decepit Jacobum. Ergò fuit in culpa quod inceſtus polygamus factus ſit, & inceſtum commiſerit.

Reſpondeo.

Hæc ita non reperiet in meâ Gonſideratione. Vide ibidem numerum 7.

N U M. X V I I.

Tractat quæſtionem. An Jacobus commiſerit inceſtum contra jus naturæ, quod Dn. Cenſor negat, his mediis terminis aſſumptis. Quia DEO placuit quando cum duabus ſororibus vixit in matrimonio. Me nihil, ait, reſpondere ad argumentum, niſi hoc, quod nil faciat ad quæſtionem noſtram de uxoris ſorore, interim reſponſionem hanc non attingere, neu Majorem neu minorem argumenti ſui.

Reſpondeo.

Qui Conſiderationem meam legit numero octavo, tria ibidem reperiet (1) non diſputari inter nos de temporibus, quæ Moſis ætatem præceſſerunt, ſed de hoc noſtro tempore, quæ matrimonia ſint prohibita, quæ conceſſa jure divino (2) Non de Patriarchis, ſed de Chriſtianis (3) Non de exemplis ſanctorum, quæ non faciunt legem, nec ponunt imitandi licentiam. Quid igitur mihi cum argumentis Bucholzii, quæ controverſiam noſtram non attingunt. Ex Levitico diſputemus de noſtro ſeculo ac noſtris Chriſtianis, an ab iis licitè nũc duci queat uxoris defunctæ uxor. Hanc quæſtionem affirmat Cenſor, & ſuam affirmativam probare ſatagit ex Levitici Cap. XVIII. verſu decimo octavo. Ego nego licitum eſſe hoc matrimonium, idque probo ex Levitici Cap. XVIII. verſu ſexto & verſu decimo ſexto, imò ex ipſo verſu decimo octavo, quem pro ſe citare Cenſor audet. In his cancellis manendum eſt Cenſori. Ex Levitico, uti cœpit, ſuam opinionem, ſi poteſt, probare pergat, & e Jacobi exemplo enatam legem nobis figere deſinat. Quod autem is, qui contra prohibitionem divinam uxorem duxit, in licito conjugio hodiè vivat, id non credo, propterea quod tales DEUS non conjunxerit, quippe qui non conjungit, quos & quas conjungi ſeriò prohibuit. Ergò in inceſtu vivit, qui contra leges & prohibitiones divinas Levit. Cap XVIII. contraxit. Quod autem Cenſor certas ſpecies inceſtus fabricat, inceſtum contra Jus naturæ in linea recta, & inceſtum in collaterali, qui non feratur contra jus naturæ, hoc ex falſa hypotheſi ſua deducit, nimirum quod omnes prohibitiones in Levitici. Cap. XVIII. non ſint Juris naturæ, idque cum ſuis Jeſuitis ſtatuit, contra celeberrimos Theologos ac JCtios.

NUM.

NUM. XIX.

Petit, ut legem ipſi monſtrem, quæ prohibuerit Jacobo uxoris ſororem, nimirum quæ non extet in Levitico. Quaſi cum Levitico demum cœperint hæ leges. Cap. XVIII. prohibentes, quod à Domino Cenſore nondum vidi probatum, ſed probationem præſtolabor. Interim eas ante Moſen extra libros extitiſſe ſcio.

NUM. XX. XXI.

Hic iterum Dominus Cenſor pervertit mea quod videtur illicò, quando Conſideratio mea legitur numero octavo. Ubi aſſero. Facta ad legem eſſe revocanda, legem non cedere exemplis. Controverſam noſtram quæſtionem non loqui de matrimonio Jacobi, decidi volo ex Levitico, quod ſe Cenſor facturum pollicitus eſt. Præſtet ſe virū, ſi poteſt, ſed hactenus nil potuit. Profectò nil minus probavit in toto ſuo examine, quam quod ſororio ſit conceſſum, uxoris ſuæ defunctæ ſororem ducere. Nam Jeſuitica & Rabinica ſequela nil probat.

NUM. XXII.

Audacter dicit Dominus Examinator. Polygamia tempore Jacobi non magis erat peccatum, quàm edere, bibere & dormire. Sic mihi reſpondet, quando dicebam, Jacob placuit DEO, ſed non propter polygamiam. David placuit DEO non autem propter homicidum & adulterium in Uriam & uxorem ejus commiſſum. Jam audio etiam propter polygamiam Jacobum DEO placuiſſe. Quia Jacobus edens, bibens dormiens placuit DEO. Non diſplicuit DEO propter cibum ac ſomnum. Ergò non propter polygamiam.

Reſpondeo:

Hoc fieri non potuit, niſi DEUS ipſe ſibi cœperit diſplicere, quando Conjugiū inſtituit, ita ut unus mas & una fœmina in eo ſtatu viverent, quod ſi poſtea diſplicuiſſet, nimirum dum placuit, ut plures fœminæ cum uno mare conjugium inirent, illicò ſe mutabilem ſummus rerum arbiter hoc ipſo oſtendit. Hoc poſterius autem falſum & abſurdum eſt. Ergò etiam falſum & abſurdum eſt, quod DEO placuerit Jacob per polygamiam. Impie! Dicat Cenſor, An præcepta Decalogi ſint legis naturæ? Non negabit. Fuerunt igitur decem præcepta, anteq iam fuerunt à Moſe ſcripta, nimirum homini inſcripta inſcriptione phyſica Rom. cap. II. non gratioſâ de quâ loquitur Jirmiah. Sic etiam inſcripta fuerunt patriarchis omnibus. Quia autem conſtat, unumquodque præceptum Decalgi ita explicandum

dum eſſe; ut non tantum iſtud, quod in eô commemoratur, ſed etiam illa, quæ virtutis & vitii ſpecies iſtuc referuntur, in eo contineri rectè arbitremur. Nemo autem negat, quod in ſexto præcepto, adulterium, fornicatio & turpitudo prohibeatur. Dicat igitur Bucholzius, anne polygamia in hoc ſextum præceptum peſſimè impingat? Hoc ſi negat, conſcientiam ſuam conſulat, quæ occulto ſuffragio hanc negativam damnabit. Si affirmat, ſponte ſequitur; DEUM polygamiam, lege humanæ naturæ inſcriptam olim prohibuiſſe, & ſic polygamiam olim peccatum fuiſſe. Prohibita quoque eſt polygamia Levit. cap. XVIII. verſu 18, quod ſupra probatum eſt. Ne quis mulierem unam ad alteram ducat. Quia leges in hoc capite manifeſtè ſe diſtingunt. In illis enim à verſu ſexto ad decimum ſeptimum incluſivè ponuntur nuditates propinquorum. In ſequentibus non agitur amplius de proximitate prohibente, de nuditate & propinquis. Nullum in verſu decimo octavo hac de re verbum. Soror quoque uxoris non in hoc verſu decimo octavo, ſed in decimo ſexto prohibita eſt ſororio, Nã, quod Lêvir fratriæ eſt, ſcilicet mariti frater, id eſt ſororio altera ſoror, ducenda ſc. uxoris ſoror. Videt igitur quilibet, propriè in citato verſu polygamiã prohiberi. Et quid dicemus de notabili loco Malach. c. II. v 14. 15. Jehovah teſtificatus eſt inter te & uxorem adoleſcentiæ tuæ contra quã tu perfidè agis (peccas contra primã Inſtitutionẽ Conjugii) cũ ſit ſocia & uxor fœderis tui (unam DEUS voluit ſociam & uxorem eſſe confœderatam) Nam nonne unam affecit, quamvis ſat ſpirituum haberet (facile DEO fuiſſet plures fœminas anima & corpore conſtantes producere) & quare unum? Quærebat ſemen DEI (Conjugium & ſemen tuum benedictum erit, ſi juxta divinam Inſtitutionem unam duxeris uxorem ſecus erit ſi pluribus te contamines per polygamiam exoſam] Vide Dn. Examinator, qua tu conſcientia ſcripſeris polygamiam tempore Jacobi non magis peccatum fuiſſe, quam edere, biberere, dormire. Horreo!

Adſertio à N. 28. ad N. 37. incluſivè.

Numero 28. 29. negat aſſertio, reperiri, Levit. c. XVIII. v. 18. propoſitionem univerſaliter negantem quoad perſonas contrahere prohibitas, non autem quod contrahendi tempus, quod reſtringatur ad vitam uxoris Hinc à ſenſu contrario conſequentia prona. Non duces uxore vivente, Ergo tu potes uxoris ſororem ducere, illã non amplius vivente. Reſpondeo. Univerſalem negantem, vel vicies oſtendi ex textu originali Hebræo

Item mulierem adſororem non aſſumito, Athnah. Nemo uxoris ſuæ ſororem ducet.

תקח לא Lothikaah. omnino non accipies.

ASſertio concedit eſſe univerſalem, quoad perſonas. Rectè! Ergo

 ſororius

ſororius nunqnam ducet uxoris ſororem. Sororius,& uxoris ſoror non e- runt conjuges. Optumè. Nam hæ perſonæ univerſaliter contrâhere prohibentur, quemadmodum dicebat Aſſertio. Quod autem reſpectu temporis univerſalis eſſe deſinat, propter limitationem illam, non duces, dum uxor vivit. Hæc limitatio in textu, tali cohærentiâ, planè non extat ſed textum violenter perturbat, & ultima verba prælicenter transponit in alienum locum, quod ſupra oſtendi. Ubi quæſo hæc verba tali harmoniâ.

Mulierem ad ſororem ejus non aſſumito in vita ejus.

Falſa, luxata, diſtorta omnia; in nullis Bibliis Hebræis unquam viſa. Ergo limitatio quo ad tempus, eſt cerebri humani nutantis ſpuma, quod nobilis pauſa Athnah evincit. Aliud eſt abſolutum. *Non accipies uxoris ſororem.* Quod biblicum eſt, & revelatum divinum. Aliud eſt reſtrictum. Non *accipies uxoris ſororem dum vivit*, quod eſt cerebri commentum, ex transpoſitione verborum audaciſſimâ proſeminatum. Cæterum, nondum plene intelligo, an ſibi conſtet, qui prohibitionem hanc facit univerſalem, quoad perſonas contrahere prohibitas; & ſimul negat univerſalitatē reſpectu tēporis contrahendi. Facilis crediderim, quòd univerſalitas reſpiciens perſonas ſibi invicem purè prohibitas, hoc in loco tollat limitationem temporis, & quòd limitatiò reſpectu temporis, viciſſim tollat univerſalitatem, quoad perſonas contrahere prohibitas ab ipſa Adſertione jam ante conceſſam. Exemplo res erit clarior. Frater & ſoror ſunt perſonæ univerſaliter contrahere prohibitæ. Hoc conceditur utrinq;, ſed addo, hanc prohibitionem eſſe limitatam, quoad tempus. Videbis, hæc adverſis concurrere frontibus. Si perſonæ hæ, ſunt perſonæ univerſaliter contrahere prohibitæ. Ergo nunquam contrahent. Et ſi aliquando contrahere poſſunt, non ſunt perſonæ univerſaliter contrahere prohibitæ. Concilia.]

Num. 31. dicit Adſertio, me mutare propoſitiones, nimirum, *propoſitionem Dei limitatam & reſtrictam. Non debes ducere ſororem uxoris, hâc vivente*; in abſolutam & puram. Et mulierem ad ſororem ejus ne aſſumito. Athnah: Pauſa! Reſpondeo. Ego propoſitionem limitatam in cerebro humano confictam, muto in biblicam, à Spiritu Sancto hâc facie nobis relictam, idque juxta Deut. c. IV. v. 2. & c. XII. in fine. Quæ ſequuntur num. 32. num. 33. unâ reſponſione jugulabo. Non Entis, nullas eſſe qualitates poſitivas. In textu enim non reperiuntur, duæ propoſitiones & prohibitiones ſed una tantum univerſalis, quæ prohibet, & ſic negat. Ergo frivola & aliena ſunt omnia, quæ de pugnâ duarum enunciationum in Adſertione hoc loco dicuntur.

Num. 34. & ſeqq. reprehenditur hoc, quod in Gamologi ſcripſi. *Deus idem non prohibet & ſimul concedit*, hinc alias colligeretu

ejus mutabilitas. Si prohibet, profectò malum illud eſt, quod prohibet. Si concedit, bonum eſt, quod concedit. Si idem prohibet & concedit. Sic idem bonum & malum eſt, quod ſimul prohibuit & conceſſit. Adſertio reſpondet *falſiſſimum hoc eſſe*. Sed quod dixit, hic non oſtendit, abdit ſe ſtatim in vepreta Reſponſi Juris in genere, ita ut nullus numerus aut locus citetur, ubi hoc inveniri poſſit, quod dicit. Tranſeant igitur, quæ ſciri non debet. Porrò num. 36. opponit matrimonium cum fratris viduâ. Sic *fratria* inquit *prohibetur & conceditur fratri*, Reſpondeo. Non idem hic prohibetur & conceditur, alius eſt caſus, & quidem unicus, in quo conceditur hoc matrimonium, ſimul enaſcitur alius reſpectus, ſcopus & circumſtantiæ, quæ claram enituntur exceptionem à generali regulâ, quod nôrunt omnes, qui illos textus legerunt. Oſtendi debuiſſet exemplum, quod Deus idem ſimul prohibuerit & conceſſerit, idem quoad rem, reſpectum quoad tempus & omnes circumſtantias. Hoc non elicitur ex tali prohibitione, quæ luculentam exceptionem ponit, in caſu alio, clarè nominato, ex cepto, ſcopo, & circumſtantiis novis verbotenus expreſſis, nimirum, quando frater ſine liberis moritur &c.

NUM- I.

Prohibitionem Levit. cap. XVIII. verſu decimo octavo aſſerit, Cenſor reſtringi ad certum tempus ſcilicet vitæ uxoris.

Reſpondeo.

Falſum hoc eſſe ſæpe probavi è textu. Nam verſu octavo noverca ſemper prohibetur, & verſu nono ſoror, verſu decimo neptis, verſu duodecimo amita. In cæteris numeris hujus quaternionis nihil invenio, quod non ſit ſolidè jam ante refutatum, ideoque non opus eſt, crebrâ repetitione priorum nauſeam movere legenti.

NUM. IIX.

Exclamat Dominus Cenſor. Ego nunquam dixi hæc eſſe falſa, quod DEUS non idem prohibeat & concedat, prohibitum malum eſſe, conceſſum autem bonum.

Reſpondeo.

Fundamentum meum hoc erat. DEUS verſu 18. univerſaliter ac ſimpliciter prohibet uxoris ſororem. Ergò illam nullo modo concedit. Quia impoſſibile ſit DEUM idem prohibere & concedere, quod mutabilitatem induceret. Adſertio Bucholzii capit V. membri, 11. numero 34 dicit, hoc falſiſſimum eſſe, quod autem ibi dicit, hic negat ſe dixiſſe. Poſtea ſequitur. DEUM viventis uxoris ororem tantū prohibuiſſe, quod falſiſſimum eſt. Nam propter proximitatem ex verſu ſexto & verſu decimo ſexto ſimpliciter eam prohibuit, absque ullo vitæ reſpectu.

Adſertio à 38. ad num. 44.

NUm 38. mirè involvit ea. Quæ ſcripſi Gamol. l. 2. pag. 11. & p. 12. ſatis diſtinctè & ſolidè, quo lectorem remitto. Interim Adſertio hic accuſat me quod principium petam, dum non pròbem, prohibitionem Lev. cap. XVIII. v. 18. γενικῶς eſſe factam, vel quod idem eſt, uxoris ſororem ſororio univerſaliter prohiberi. Miror, & jure miror, non melius intelligi ſtylum Biblicum. Utitur Spiritus Sanctus ſecundâ perſonâ, in omnibus fermè verſiculis prohibentibus. Exempli gratia v. 7. Nuditatem patris tui, aut nuditatem matris tuæ ne retegito. Et v. 8. Nuditatem novercæ tuæ ne retegito. Dicat mihi Adſertio. Non retegito. Tu non debes retegere, nonne univerſalem ſemper parit negantem. Nulla filia reteget patris nuditatem. Nullus filius reteget matris nuditatem. Nemo ducat novercam ſuam, quod nimis perſpicuum eſt ex verſ. 6. omnium prohibitionum ſcaturigine. Nemo homo ad ullum propinquum vel propinquam carnis ſuæ acceditote. Qui oculos habet, vel eminus luculentam videbit univerſalitatem, quæ claris verbis quoque verſ. 18. concepta eſt לֹא תִקָּח Lo tikkach, Tu non accipies ſororem uxoris. Tu ſororie hoc non facies. Nullus ſororius hoc faciet. Nemo homo ad nimis propinquam accedet. Et quæſo, quo jure mihi petitionem principii affibulare Adſertio poteſt, cum ipſa Adſertio conceſſerit, quod perſonas contrahere prohibitas, hic eſſe univerſales. Sed de his jam ante diſſerui, & univerſalitatem oſtendi.

Num. 41. arripit, quod in Gamologia ſcripſerim. Avus non poteſt ducere neptem, hoc expreſſis verbis, quæ oculis corporeis leguntur, non extare in Levitico, additq; Ironicè, *me malè applicatis perſpicillis præteriiſſe verſiculum decimum capitis Lev. XVIII.* Reſpondeo. Quam confuſè agat Aſſertio, & quod ſemel protulit, ad idem poſtea relabatur, videbit lector quando legere placebit Gamol. lib. 2: p. 11, & 12. Ubi ſemel ac ſolidè refutavi ſententiam hanc erroneam. *Quod oculis corporeis explicitè non legitur in Scriptura, id non extare in Scripturâ.* Vidit Adſertio, hæc non potuiſſe, concoqui, ſpiſſe hic erratum eſſe, nec quicquam afferri potuiſſe, quo falſa fulciatur hæc theſis, & tamen iterum hanc Cramben. Jam ante algentem, & in novam Zemlam tranſmiſſam in foco Apitii recoquit. Sed ad rem. Avus non ducet proneptem. Sic legi oportebat. Quod quilibet eruditus nullo negotio videbit. Vocula pro, præſertim, quando per abbreviationem ſcribitur, facile negligi poteſt à typotheca & correctore, quod hoc loco factũ, interim Gamol. pag. 374. ſtatim in prima linea legere potuit, quod loquar de avo & pronepte. Nam hæc verba ibi extant, quæ Adſertio noluit videre & legere, ut hic haberet, quod arroderet, Hoc dico expreſſis verbis, formaliter

maliter

maliter non legi&p.præced.11. NB. *Tot literis,tot ſyllabis,& p.12. in terminis terminantibus non extare in Levit. c.XVIII.* Oſtendat mihi Adſertio illa verba,(quod nunquam facere poterit)dum hic incipit μικρολογεῖσθαι tot literis,tot ſyllabis in Levitico. Imò ne quidem Lev.c.XVIII.v.10.formaliter tot ſyllabis Adſertio reperiet,hanc enunciationem. *Avus non ducet neptem*,ſi illam intendiſſem quod non feci, Sed hæc atomorum aucupia, rem de qua diſputamus, non expedient,& ſic Ironia de meis perſpicillis malè applicatis fruſtra tam ferox eſt.Si redhoſtire vellem,remitterem ad. Reſponſum Juris,*pag.*132.*n.*477..ubi lego quod D.Gerhard.& D.Paulus Tarnovius nil reſponderint Bellarmini argumentis non *aſpernendis*. Spernendus dicitur à Sperno. Sed aſpernandus ab aſpernavi.Hoc autem inter errata non reponitur, quæ extant in fine Reſponſi Juris, quod perſpicilla ſua hic malè applicavit,docente Grammatica. Sic num.44.iterum extra oleas vagatur Adſertio, quando aſſerit. Non abſurdum eſſe aliquam prohibitionem negantem implicitè quid affirmare. Sed hic Rhodus ac nodus non erat.Hoc autem oſtendi debeat. Quod enunciatio univerſalis negans in ſe complectatur enunciationem affirmantem. Ubi autem ſunt iſti novem, qui hoc faciunt.

NUM. I.

Dixi,ſororem uxoris γενικῶς, hoc eſt,univerſaliter prohiberi. Sicut noverca,amita,matertera,ſoror,fratria in caſu extantis prolis, & ſic ſoror uxoris.Idque ex verſu 6. Quia nunquam conceſſa eſt ſoror in collaterali, nunquam amita,nunquam matertera, &c. idque propter proximitatem ſemper prohibentem.Hoc enim potuit refut.re alienis illis de linea recta, univerſalitate reſtrictiva;non accipies ad laceſſendum & in vitâ ejus.Antiqvum melos! Sic numero 4.illud de corporeis oculis legentibus in ſcriptura recurrit.

NUM. V.

Ne vel avus proneptem ducat, aut neptem totidem ſyllabis non prohiberi in Levitici cap.XVIII.Nec Cenſor monſtravit, verbotenus illa illic legi.At non eſſe reſpectum, ait inter avum & proneptem. Quæro anne ſit proximitas carnis inter avum & proneptem?Non poteſt negare! Ergo avo ſi tam longævus eſſet,prohibetur proneptis æquè ac neptis. Sed hoc non extat totidem verbis. Quid obtinuit Cenſor, qui hic ſilet,& nil addit præter, ſcilicet.

NUM. VI.

De lana caprina agit,de voce aſpernendis, quod legitur in Reſponſo Juris, quodque negare non poteſt. Ipſe autem me impulit,ut uno verbo monerem.

NUM. VII.

Tepet. Quia in lege ſimpliciter & univerſaliter prohibente Levit cap.XVIII verſu decimo octavo particularem conceſſionem & affirmationem quærere audet. Quia ibi dicatur tantum. Non duces uxoris viventis ſororem. Falſum, refutatum accuratè. Textus authenticus id refutat. Diſtinctio biblica id refutat.

Aſſertio à Num.45 ad Num.48.

Hi numeri negotioſi ſunt in iis, quæ parum ad rem faciunt. Vitam uxoris, Reſponſum Juris, *cauſam finalem vocat prohibitionis*, cur non debeat duci ſoror altera. Reponebam. Non tam vitam, quàm vexationem in vita dici debuiſſe cauſam finalem prohibitionis ex mente Reſponſi Juris. Aliud namque eſt vita, aliud vexatio in vitâ. Etſi ſoror ducta tam ſit ſedati animi, ut nulla oritura metuat fulgura, ſi altera quoque ſoror ducatur, illico in tali caſu ceſſare illam prohibitionis cauſam finalem, quâ ceſſante, ſuperinduci poſſit altera ſoror, ut ſic tres per Polygamiam, nullas inferentem lites, ſint in carnem unam, juxta hanc reſtrictam, quam Reſpònſum Juris urget Adſertio nihil excipit, niſi, *quod hic caſus ſit rariſſimus, quæ autem ſemel aut bis exiſtunt, ea præterire legislatores*. Reſpondeo. Si rarus eſt talis caſus, quo ſoror æquo animo fert ſororem in eodem thalamo, ea poſita raritate, conceditur tamen poſſibilis exiſtentia hujus caſus. Nam quæ rarò exiſtunt, etiã exiſtunt. Ergò in tali caſu ſororis tantæ probitatis & patientiæ, ceſſabit ficta cauſa finalis prohibitionis. Ergo ceſſabit ipſa prohibitio. Ceſſante prohibitione illa in tali caſu admittetur Polygamia, per duas ſorores in eo thalamo amicè viventes & conniventes. Et illa Polygamia exiſteret, ſed rarò exiſteret juxta Adſertionẽ. Pulchrè omnia. Pergit nu.48. hiſce verbis, *Dicit diſtinguens Antagoniſta, textum non loqui de vitâ, ſed de vexatione in vitâ. Atqui exinde potius inferri debebat, textum loqui de vitâ cum vexatio in vita non ſit ſine vita.* Reſpondeo ſimili textura & ſtamine. Podagricus non bibet vinũ ad laceſſendum Podagricum dolorem in pede. Colligit Antagoniſta prohibitionem hanc medicam non loqui primariò de pede, ſed de dolore podagrico, ne excitetur in pede. Atqui exinde inferri debebat, ſi rectè concludere voluiſſet, hunc aphoriſmum πρώτως loqui de pede, cum dolor podagricus non ſit ſine pede. Sit ita; ſed quàm tepent. Quam ſuaviter ridebit petulanti ſplene cachinno.

NUM. I.

Hoc emplaſtrum promit. Ubi ceſſat prohibitionis cauſa, videlicet afflictio uxoris, ibi ceſſat prohibitio.

Reſpon-

Reſpondeo.

Propinquitas ex nudatione orta, ſive arcta affinitas eſt genuina cauſa, propter quam propriè prohibetur uxoris ſoror, non afflictio & vexatio, quæ potius eſt conſequens hujus matrimonii. Quod autem ceſſans afflictio, aliquando polygamiam, quod ſupra probavi, inferre queat; Huic nihil ſolidi opponit, ſed emplaſtra emollientia it quæſitum.

NUM. II.

Frivola ſunt quæ leguntur, quamobrem dimittuntur.

Aſſertio Num. 49.

HIc numerus quærit, cum Reſponſum Juris vitam uxoris ac vexationis metam habeat pro conditione prohibitioni divinæ adjecta, cur tantum reſponderim, quod conditio non ſtatim ſit cauſa finalis? Cur non etiam inſtantiam dederim? Reſpondeo. Res ſatis clara eſt. Prohibitionem divinam de uxoris ſorore non ducendâ abſolutam eſſe, non conditionatam. Mulierē ad ſororem ejus omninò ne aſſumito. Hic nulla conditio, nulla limitatio nidulatur, quippe, quas ipſe textus refutat. Ergo nulla opus erat inſtantia. Urgebam enim univerſalem hanc negantem Lev. c. XVIII. v. 18. quæ ſimpliciter non autem conditionaliter aut reſtrictivè negat.

NUM. I.

Quæritur, an DEUS Levitici cap. XVIII. verſu decimo octavo, ſi is verſu ageret de uxoris ſorore, hanc ſororio ſuo tantum conditionaliter prohibuerit. Ad hoc probandum Dominus Cenſor tam mutus eſt quam piſcis. Sed citò delabitur ad hanc quæſtionem, An diſpoſitioni adjecta conditio notet cauſam finalem.

Reſpondeo.

Conditi nalem prohibitionem nondum probavit Cenſor excitato verſu decimo octavo. Et tamen diſputabit, an illa ſit finalis cauſa. Quòd non eſt in verſiculo, erit cauſa finalis.

Adſertio â Num 50. & ſeqq. 51. 52.

HIc numerus de duobus Ablativis diſſerit. Nam Reſponſum Juris, ex duobus ablativis *uxore vivente* elicere conatur, vitam uxoris eſſe annexam conditionem, & cauſam finalem prohibitionis divinæ. Nimirum prohiberi tantum alteram ſororem, propterea, quod uxor in vivis eſt. Sic rebus humanis exempta eſt, ceſſare prohibitionem, propter ceſſantem, ſive cauſam finalem. Dixi ex duobus ablativis hoc non poſſe colligi, quod non reperiantur in textu Hebræo. Cum Ablativus non reperiatur in totâ linguâ Hebræa. Nemo in ulla Grammatica Hebræa ablativum vidit unquā, ita ablatus eſt ablativus, etiam in aliis linguis Anatolicis. Quod igitur

exiſten-

exiſtentia caret, id non ſuppeditat argumentū in re tam ardua. Ipſa Adſertio cogitur concedere, ablativos hoſce non extare in textu authentico. Ergo relabitur ad verſiones. Textū rectè verſum eſſe per duos ablativos. UXORE VIVENTE. Regero. Hi duo ablativi, uxore vivente non extant in verſione Junii & Tremellii formaliter. Non extant in verſione Xantis Pagnini. Non extant in verſione Munſteri, ſed in vulgata, quæ mille vitiis ſcatet. quæ juſſu jam hujus jam illius Pontificis eſt toties tota emendata, & nondum pura, quod omnibus Philologis notiſſimū eſt. Nec in verſione Lutheri ſunt Ablativi duo. Weil ſie noch lebet. Sie lebet eſt tertia perſona verbi, ſed verba in Grammaticis carent caſibus; Et ſanè, ſi duo Ablativi formaliter extarent, in verſionibus accuratioribus, quod planè falſum eſt? nihil inde eliciret Reſponſum Juris, quod in Gamol. L. 2. pag. 417. oſtendi, quod tamen noſtra Adſertio, quia refutare non potuit, planè præterit, quaſi ſeptendecim lineas in Gamologia legere non potuerit. Ibi oſtendo, quare in arduis negotiis controverſis, non ex verſione, ſed è textu originali ſint depromenda argumenta. Quia hic tantum ſit θεόπνευςος à Deo immediatè inſpiratus. Et ſic ἀξιόπιςος ſimpliciter mereatur fidē, quod de nulla verſione dici poteſt. Addidi textus 2. *Sam. c. XXIII. Matt. c. X. v.* 20. 2, *Pet. c.* 1. *v.* 21 addi quoque poſſunt *Eſ. cap. LI. v* 16. *cap. LIX, v.* 21. 1. *Cor. cap. II. v.* 17. Hi textus oſtendent, quam impiè loquitur Adſertio numero 51. quando inquit. *Nil itaque agit* (Antagoniſta) *dum tantopere textum authenticum deprædicat.* Hæc verba non mihi, ſed ipſi Scripturæ Sacræ, authenticum textum mirè deprædicanti, ineptè opponuntur, ut mirum ſit, tales in aliqua Academia naſci potuiſſe hederas. Sequitur *n.* 52. *Ipſe Deus dicit; Non debes ducere uxorem ſororis viventis. Idem & nos dicimus.* Sed falſum eſt, Deum ita dixiſſe. Omnium n. legentium oculi deprehendent contrarium. Hoc Deus dixit *Levit. c. XVIII. v.* 18. *Et mulierem ad ſororem ejus non adſumes.* Et hic ſatis notabilem pauſam poſuit, nimirum ipſum Regem Athnah, qui hic ſiſtit orationem. Verbum *vivere* hic non ſtatim ſequitur, ſed multa alia inſeruntur verba. Admittantur oculi teſtes, qui ſunt teſtes omni exceptione majores. Ultimum demum verbum, quo verſus concluditur, eſt illud *in vita ejus*, quod nō cohæret cum remoto illo. Non accipies. Sic, conjungendo. Non accipies ſororem uxoris in vita ejus. Ridiculum. Sed cohæret cum præcedentibus verbis. Aﬄicturus es eam, ſcilicet uxorem tuam, ſi retexeris nuditatem ejus ſcilicet ſuperinductæ ſororis, in vita ejus, nimirum uxoris tuæ. Adſertio hic tres cogit & cumulat errores. (1.) Perperam diſtinguit textum, dum negligit pauſam Athnah diſtinguentem, & ſic conjungit non conjungenda. (2.) Tumultuatur in textu, & verborum natura-

lem

lē compoſitionē & cohærentiam rumpit, ultimum verſiculi verbum. *In vita ejus*, aufert ex fine, & transponit in medium verſiculi, eique affingit accentum diſtinctivum, quem non invenit ibidem in Bibliis hebræis eo in loco (3.) Verbum בחייה ſubſtantivum pluralis numeri, *in vitis* ejus, cum affixo audet mutare in participium, quaſi Deus dixerit; *Non debes ducere ſororē uxoris viventis.* *Sed, οὐδὲν ὑγιὲς*, nil ſani hic nil ſobrii. Lien migrat in dextrū hypochondrium. Hepar in ſiniſtrū. Inteſtina in cranio, cerebrum in ventriculo quærit diverſoriū, pancreas deſcendit ad lienes, renes aſcendunt ad ſcapulas. Hæc peregrinatio partium de ſubitò corrumpit totum corpus humanum. Et hæc peregrinatio verborum jam oſtenſa planè corrumpit noſtrum textum. Ut vere dicere liceat, aſſertionis authorem, limpidos Siloæ rivos, immiſſis mortui maris bituminoſis aquis mirè ac miſerè perturbaſſe. Eodē numero pergit Adſertio. *Deus* inquit, *nō dicit, Non debes ducere ſororem uxoris defunctæ. Cur itaque adverſarius affirmat, Deum hoc dixiſſe?* Repono. Utinam Adſertio didiciſſet tantummodo legere originalem textū! Utinam literas, puncta & pauſas noſſet. Sic opponendis tam ineptis, non tantum mihi faceſſeret negotii. Uno verbo. Dixit Deus. *Item mulierem ad ſororem ejus nō accipies.* Æquipollens ex *Levit. XV*III. *v.* 6. & 18. junctim deprompta hæc eſt. *Nullus homo uxoris ſororem accipiet.* Qui alteram ſororem plane non accipiet ille eam non accipiet, ſive uxor vivat, ſive illa mortua ſit. Quid quæſo affirmando concedit univerſalis abſolutè negans. Conferamus verba *Levit XV*III. *v.* 18. & *Exod. c. XX. v.* 13. 14. 15. ubi particula לא Lo cum verbo conjungitur.

לא תקח	Non accipies	}	Non accipito
לא תרצח	Non occides		Non occidito
לא תנאף	Non ſcortaberis		Non ſcortator.
לא תגנב	Non furaberis		Non furator.

Hæc formulæ univerſalitatem ponunt univerſaliter prohibent. Quando igitur licebit ſororem uxoris ducere? Quando licebit occidere, ſcortari furari? Nunquam! At diceret quiſpiam. Non occidito, habet Soph paſuk quo oratio ſiſtitur. Sed etiam non accipito habet pauſam Athnah, qua oratio hoc loco ſiſtitur. At dicas, poſt verba non accipito ſequuntur hic plura verba. Immo ſequuntur illa poſt prohibitionem, diſtinctione à verbis ſecuturis avulſam, & ante Athnach quieſcentem. Nimirum hæc; Afflicturus es eā (uxorem) retegendo nuditatem ejus (alterius ſororis) in vita ejus (uxoris) Hæc verba rationem exaggerantem complectuntur, Affliges uxorem tuam, ſequentur fulmina domeſtica, quæ patriarcha Jacob nimis expertus eſt, idque fiet in illo caſu, quando retexeris nuditatē alterius ſororis in vita uxoris tuæ, quod idē eſt, ac ſi diceretur. Hoc fiet quando duxeris

alteram ſororem, & ſic duas ſimul in lecto geniali habueris ſorores, quando abuteris exemplo Iacobi, quaſi illud factum, attamen longè aliis ſtipatum circumſtantiis, ſit imitabile, ibique licitum.

NUM. II. III. IV.

Qui caſus ait Adſertio Moſis non eſt in hebræo, iſte nunquam poni debet in verſione latinâ.

Reſpondeo.

Major hæc pertinet ad Domini Bucholzii falſa & afflicta. Nullum verbum de hoc reperitur in Conſideratione mea.

NUM. III.

Interpretes excellentiores retinent hebræum in vitâ ejus.

Reſpondeo.

In duobus ablativis nihil præſidii eſſe probavi contra Cenſorem, qui ſemper ablativos crepat, qui caſus non eſt uſitatus in lingvis hebræa, Chaldaica Syriaca &c. Non dico, quod nunquam ita verti poſſit, vivente uxore, ſed ubi tunc manet (2) Beth, & affixum fœminini generis mi Domine Cenſor. Reſponde hic ex tuo Ebraiſmo: Sic.

NUM. VI.

Quod Lutherus non vertit per ablativos hoc nec alii ita vertent.

Reſpondeo.

Id etiam Cenſoris figmentum eſt. Et.

NUM. VIII.

Dicit, duo ablativi important conditionem, quod nos inde elicimus

Reſpondeo.

Duo ablativi non ſunt in textu immediatè inſpirato. Ergò ex originali textu non important conditionem. Quod ibi non exiſtit, ibi nil importat. Pergit mihi affingere, ac ſi adſeram. Ubi Spiritus ſanctus ſanctis hominibus inſpiravit verba ſcribenda, ibi ex duobus ablativis reſponſum noſtrum nihil eliciet.

Reſpondeo.

In verbis inſpiratis Levitici cap. XVIII. verſu decimo octavo non ſunt duo ablativi. Ergò Cenſor ex illis nihil colliget.

NUM. VIIII.

Aegrè fert, quod propria ipſius verba citaverim, nimirum hæc. Nihil itaque agit, dum tantopere textum authenticum deprædicat, & verſiones rejicit.

Reſpondeo.

Verſiones non rejicio, ſed in dubiis textibus originalem textum

conſu-

conſulendũ eſſe a [illegible] Cum H[illegible] Auguſtino, & omnibus ortho-doxis Th[illegible] [illegible] verſio-[illegible] Contra. Concil. [illegible] ſunt ipſa verba, [illegible] de nulla verſione [illegible] cap. LIX. v. 21. Spiritus meus qui in te, & verba mea quæ poſ[illegible] in ore tuo, [illegible] recedent ab ore tuo, & ſeminis tui [illegible]

Cu[m] igitur objicit mihi Cenſor. Nihil me agere dum textum authenticum deprædico. Nullus Chriſtianus hoc reprehendere poteſt. Nullus Chriſtianus dicet, quod nihil agam, dum textum authenticum conſulo ac deprædico. Valde cruda hæc ſunt, & eruditorum pipulo jure merito vapulant.

NUM. X uſque ad XIV.

Fulgurat contra nobilem pauſam. Athnach. Videt enim Cenſor biblicam diſtinctionem ſuis aſſertis maſculè contradicere. Nihil repono iſtis, quæ fundamentaliter jam ante perſecutus ſum. Unum adhuc urget. Puncta vocalia, & diſtinctionis notas reges ac miniſtros non eſſe à Moſe, ſed vel ab Esdra vel Tyberienſibus.

Reſpondeo.

Illa quæſtio per DEI gr[atia]m m[i]hi notiſſima eſt. Hic tantum oppono Cenſori ſequentia (1.) A punctis & diſtinctivis accentibus, pendet ſenſus lingvæ hebrææ. Nemo dubitat. En pono vocem trium literarum דבר D. B. R. ſubſcribe puncta Cametz & patah. tunc illa vox ſignificat, locutus eſt. Subſcribe Segol utrique ſyllabæ. Jam notat peſtem. Subſcribe Cametz utrique ſyllabæ, & ſignificabit Verbum. Si igitur puncta ab hominibus ſunt addita, tota ſcriptura Veteris teſtamenti erit ambigua, non poterit σοφίσαι erudire ad ſalutem. 2. Tim cap. III. non erit fundamentum Epheſ. Cap. II. Sic ſermo propheticus non erit βεβαιότερος λόγος, viſu & auditu certior. Sed dubia, ambigua erunt, omnia imo lingua hebræa, omnium in orbe linguarum erit imperfectiſſima, vocalibus deſtituta, & diſtinctionis accentibus quæ tandem accepit a cerebro Rabbinico quod abſurdum eſt & impium. (2) Ex Matthæo Cap. V. verſu decimo octavo Lucæ cap XVI. verſu decimo ſeptimo diſpaleſcit, quod nullus apex peribit de lege Per apices, κεραίας) puncta intelliguntur. Nō peribunt de lege. Ergò tabulæ legis, quibus DEUS legem inſcribebat, puncta habuerunt inſcripta. Si ſecus illicò cum Papiſtis, contra perfectionem ſcripturæ contra perſpicuitatem ſcripturæ impiè diſputatur. Perfectio Scripturæ ab hominibus hoc modo dependet. Senſus ab hominibus erit, nil certi ex illâ colligi poterit. Hic videt Cenſor, in quam periculoſam Charybdin ſuâ ſuperciliosâ præcipitantiâ feratur. Video enim, ipſum non intelligere hujus quæſtionis ortum & progreſſum, An puncta ſint literis coæva, an vero ab Eſra vel Tyberi-

 entibus.

enſibus inventa? Solus Judæus Grammaticus. Elias Levita, errorem de inventione punctorum nupera fovit, cui adſtipulati ſunt viri magni, eſt Ludovicus Capellus, qui ſe hic oppoſuit Dn. Buxtorſſio Seniori, & ſua authoritate multos decepit. Sed Cl. Buxtorſſius Junior, reſpondit libro, ſive arcanopunctationis revelatos qui ſub nomine Th. Erpenii inlucem prodiit. Et oſtendit punctorum mentionem ſæpè fieri in Zohar & aliis libris Cabaliſticis, Tyberienſibus antiquioribus. Imo in Talmudicis libris loca oſtendit, quæ punctorum & accentuum faciunt mentionem. Quibus nemo contradicere auſus eſt hactenus. Miror igitur, quod noſter Bucholzius illa ſolemniter refutata refodiat, & Eliæ ſomnium nobis venditare allaboret.

NUM. XV. nil novi habet NUM. XVI.

Pueriliter nugatur contra univerſalitatem prohibitionis & prohibitum Levit. cap. XVIII. Semper prohibentur noverca, ſoror, amita matertera, uxoris ſoror. Ergò dicit Cenſor concludere poſſum non duces illam propinquàm ex latere in decimo gradu.

Reſpondeo.

Uxoris ſoror ſimpliciter prohibita eſt verſu decimo ſexto, ſoror, amita, matertera ſimpliciter prohibentur in aliis verſiculis ſupra citatis. Sed gradus decimus non eſt prohibitûs in citato capite, quoad lineam collateralem, quod nemo hactenus legit, audivit. Quæ perſonæ ſimpliciter jungi prohibentur in Levitico, nunquam conjungi poſſunt. Ergò etiam perſonæ, quæ in decimo gradu collateralis non prohibentur in Levitico, nunquam conjungi poſſunt. Ineptiæ ineptiſſimæ!

NUM. XVII.

De Athnah recurrit, quod jam ante refutatum eſt.

NUM. XVIII.

Hoc mihi adſuit, quaſi ſtatuam, prohibitionem factam eſſe cum viventis uxoris ſorore. Sed huic figmento ſemper contradico,

Adſertio n.53.

REſponſum Juris dixerat, prohibitionem de uxoris ſorore non ducenda, locum habere non poſſe, ſine cauſa in diſpoſitione expreſſa, nimirum, ſi uxor affligitur, ſi vivit. Repoſui. Hoc nudè dici, prohibitionem autem ſub hâc conditione tantûm factam eſſe. Non duces uxoris ſororem, quamdiu uxor vivit, & affligitur per alterum matrimonium, hoc nullo argumento probari. Quid ad hoc Adſertio? Num. 51. hæc leguntur. *Reſpondemus Deum non pure & illimitate prohibuiſſe hoc matrimonium cum ſorore uxoris, ſed addita hâc expreſſa reſtrictione, dũ uxor vivit.* Verum hic nullam argu-

argumentum audio, ſed tantum reperitur nuda allegata adſertio Reſponſi Juris, adhuc probanda, at nondum probata. Pergit Adſertio. Si *Deus ſeparatā à diſpoſitione voluiſſet habere illam cauſam, (ſi affligitur, ſi vivit uxor, quæ eſt cauſa prohibitionis, & ſtante hac cauſa & conditione: non duces alteram ſororem,) is eam ipſe ſeparaſſet & matrimonium hoc pure prohibuiſſet, quod non fecit. Integer igitur contextus retinendus eſt.* Repono. Prohibitio divina ſeparata eſt à ſequentibus verbis per pauſam Athnah. Deus purè & univerſaliter hoc prohibuit matrimonium, quod vel centies oſtendi, textum citando. Integrum quoque textum retineo. Sed diſtinctionem biblicam urgeo, nolo enim textum confuſum, & ex proprio cerebro interruptum, & malè diſtinctum mihi obtrudi. Uno verbo. Integrum textum admitto, malè diſtinctum & perturbatum textum repudio. Prohibitionem â ratione exaggerante & ſequente eâ diſtinctione, quam Biblia oſtendunt, diſtinctum ac ſeparatum cupio. Remitto hic ad oculos Judices ac teſtes. Et ſic Adſertio limitatam ſuam prohibitionem ſub cauſa, ſub conditione, ſub duobus ablativis nullo verbo hîc probare potuit.

NUM. LII. LIII. LIV.

Nihil novi reperio, Niſi quod dicitur me textum integrum verſiculi decimi octavi integrum non admittere.

Reſpondeo.

Admitto integrum textum, ſed diſtinctum, non confuſum, nec perturbatum, qualem mihi Dominus Examinator obtrudet. Addo quod ratio exaggerans non ſit cauſa principalis prohibitionis, ſed proximitas ex verſu ſexto inter ſororium & defunctæ uxoris ſororem.

Aſſertio â n. 55. ad n. 56.

Gamologia mea ita diſſerit lib. 2 tit. 5. pag. 418. Textus nobis ſubminiſtrat nativam cauſam, & finem principem prohibitionum, cur hoc, vel illud ibi prohibeatur. Et quidem Levit. c. XVIII. v. 6. Nemo ad carnem carnis, vel nimis propinquum aut propinquam accedat. Hæc textus. Sororius autem cum ſua uxore factus eſt una caro. *Gen.* II. *v.* 24. Porrò, uxoris ſoror dicit ſororio verè ac realiſſimè Uxor tua eſt caro mea & ſanguis, è textu *Gen. XXXVII. v.* 17. Non occidamus Joſephum, eſt frater noſter, *caro noſtra & ſanguis.* Hoc ſi verum eſt de duobus fratribus. Ergo idem verum eſt de duabus ſororibus. Eadem enim eſt cognatio inter fratres, inter ſorores, inter fratres & ſorores. Sororius igitur qui cum una ſorore factus eſt una caro. *Gen. c. II.* ducit alteram ſororem, quæ prioris caro & ſanguis eſt & manet *Gen. c. XXXVII.* is impiè agit & ad proximā carnis nefariè accedit contra *Levit. c. XVIII. v.* 6. qui verſiculus cauſam omnium in propinquitate

tate

tate prohibitionũ per totum caput allegatum luculenter exponit. [illegible] Adſertio n.55. quæ dicit, *me pro authoritate obtrudere ver*[illegible] *prohibitionis) Nemo accedat ad proximam carnis* [illegible] *ex*[illegible]*tum ſit. Locum Gen. XXXVII.* [illegible] *intelligi* [illegible] *vel* [illegible] *abſurdam contradic*[illegible]*tendam eſſe. Fratres &* [illegible] *naturaliter & propriè ſunt una* [illegible] *caro. Vere & cum effectu juris non poſſe cenſeri carnem carnis quam inter aſcendentes & deſcendentes quod nec de fratribus nec de aliis conſanguineis multo minus de a*[illegible]*bus advenire poſſit.* Reſpondeo. Ego propriâ authoritate veram ac principalem prohibitionum cauſam, quæ Levit. c. XVIII. v. 8. legitur non obtrudo, ſed ex textu ipſo oſtendo conſentientibus Theologis ac JCtis graviſſimis. Nec peto principium, dum quod aſſero, per textus ſtatim probo. Nôrunt Logici, hoc modo principium nullo pacto peti poſſe. Adſertio igitur ſuo modo hoc dicit, ſed nõ probat, quod dicit, id quod magnum eſt in diſputando privilegium. Locus Gen. XXXVII, non poteſt intelligi per fictionem Juris, quemadmodum Adſertio textum malè interpretatur. Nam hoc ſenſu acceptus, nihili fuiſſet hoc Judæ dehortantis argumentum. Manus noſtra non ſit ei infeſta. Ratio. Quia frater noſter, caro noſtra eſt. Fictio Juris in qua terra fratres facit? Nullibi! Fratres fiunt per participationem ſanguinis, quem habent immediatè ab utroque, vel ab uno parente. Hinc Germani dicunt: Volle Brüder/ halbe Brüder. Si quis quærat. Cur vos fratres eſtis? Nemo audivit ab ullo homine, ullo in ſeculo reſponſum fuiſſe Fictio Juris nos fecit fratres. Vel fratres ſumus per fictionem Juris. Hæc fictio Juris forſam per actum entitativum cum materia prima erit ex tra nihil, ſed non erit hoc aliquid, habebitque cum cæteris fictis patriam in cerebro, ubi habitat Enthymema, Syntheſis, Syllepſis, Horizon, Tropici arctici, & cæteræ hujus entitatis ſubtiliſſimæ gentes. Generalis verò, realiſſima, Phyſica, ipſa immediata κοινωνία ſive communicatio carnis & ſanguinis quæ ab iisdẽ parentibus progerminant in duobus filiis, illa ſanguinis κοινωνία, hos filios reſpectu parentum facit filios, reſpectu participationis paterni ac materni ſanguinis, cujus uterq; filius particeps factus eſt, hos duos filios phyſico nexu facit fratres, ſi talis ſanguinis κοινωνία progerminat in duabus filiabus, has filius facit inter ſe ob candẽ participationẽ ſorores. Et propter hanc phyſicã generationẽ, quâ Jacob generat Ruben; Jehudã & c. ac Joſephũ, ipſe Ruben, Jehuda ac Joſephus erant fratres, quia ab uno illo & proximo cõmuni ſtipite & patre carnẽ & ſanguinẽ acceperant, ejusq; participes facti erant quẽadmodum ille loquẽdi modus optimè derivari huc poteſt ex ep. ad Hebr. c. II. v. 14. Ergo quilibet Sagaciter odoratur

qua is

qualis ſit explicatio loci Gen. XXXVII. Joſephus eſt frater & caro noſtra, ſcilicet nõ per fictionẽ Juris, quæ toto textu & capite ne quidẽ ſui umbram reperit. Hoc non eſt exponere, ſed ludere. Malè etiam Adſertio abſurdum vocat, quando fratres fratribus, fratres ſororibus dicunt cum Moſe vel Jehuda. Vos eſtis noſtra caro & ſanguis. Hoc verè ac proprie dicitur propter veram ac naturalem à parentibus vel uno parente generationem & ſanguinis ab uno ſtipite (maritus & uxor, ſunt una caro) participationem cujus fratres & ſorores phyſicè ac realiſſime fiunt participes. Adſertio argutatur abſurde dici, quod duo fratres ſint *una Numero caro*. Sed hoc non legitur in allegato textu Gen. XXXVII. nec legitur in tota Gamologia. Sufficit quod præeunte phyſica verè dicatur, Joſephus eſt caro noſtra & ſanguis. Quod obtinui, quod ſoror malè ducenda ſororio, poſſit præunte phyſica idem, & ob eandem cauſam verè dicere. Uxor tua, quam matrimonio habuiſti, eſt caro mea & ſanguis. Ergo me agnoſcis tibi proximam carnis, propter realiſſimam contractam affinitatem, ex realiſſima & phyſica carnis copulatione reſultantem. Ergo ad me proximam carnis non potes accedere, per verſiculum 6. decimi octavi capitis Levitici. Quod porrò affirmat Adſertio, carnem carnis, iſtud eſt, talem propinquitatem, quæ matrimonium in citato Levitici capite prohibet *non eſſe niſi inter aſcendentes & deſcendentes*, id audacter quidem dicitur, ſed falſiſſimum eſt. Inter fratres & ſorores in linea collaterali, vel eſt caro carnis, hoc eſt ſenſu genuine & Moſaico, talis propinquitas, quæ matrimonium impedit. Vel inter fratres & ſorores non eſt talis propinquitas. Eligat Adſertio alterutrum. Si inter fratres & ſorores, talem carnis carnem, vel carnis reliquias eſſe dicit, ſibi illicò contradicit; & propria cædit vineta, quando carnem carnis tantum inter aſcendentes & deſcendentes admittebat. Si negat, illicò illabitur in hujus Abſurdi carybdim. Fratrem poſſe ſuam ſororem ducere. Uſurparem hic Adſertionis verba quibus me excipiebat. Eligat Adſertio cui dicat tu mihi ſola places!

NUM. I.

Soror altera dicit ſorori, Uxor tua eſt caro mea & ſanguis ex Geneſ. Cap. XXXVII verſu decimo ſeptimo. Cenſor addit, me fratres & ſorores unam carnem appellaſſe.

Reſpondeo.

Hoc prodigioſè falſum eſt. Nam una caro, vel eſt in unam carnem ex conjugio orta inter conjuges. At fratres & ſorores non poſſunt eſſe conjuges. Ergo non ſunt una caro. Ex Geneſ. cap. II. Præterea negat ſoror ũ, [illegible] quod illa pro-

[illegible]

ximitas verſu ſexto non ſit tam in affinitate, quam in conſanguinitate, quod ſupra ſufficienter probatum eſt.

NUM. II.

Propter proximitatem carnis, Jacobum ait, non potuiſſe ducere filiam Labani.

Reſpondeo.

Jacobus non Labanum, ſed filiam Labani volebat ducere. Inter Jacobum autem & Rachel, filiam Labanis non erat proximitas carnis prohibens, quæ inter conſobrinos in Levitici cap. XVIII. nullibi extat. Ducere igitur illam poterat bonâ cum gratia. Proximitatem tantum in conſanguinitate conſiſtere putat, & ſæpe repetit Cenſor, quod ſupra ex ipſo textu refutatum eſt. Hinc porro cadit ſophiſticatio puerilis.

NUM. IIII.

Ergo, qui uxoris ſororem ducit, ducit carnem carnis. Quidni? Ducit enim proximam carnis, per affinitatem arctiſſimam, ex carnis copulatione ortam, quando ſororius priorem ſororem retexerat. Hic nulla eſt tavtologia, ſed pura puta veritas.

NUM. V.

Ait, non agi verſu ſexto de ſororio uxoris.

Reſpondeo.

Agitur eo verſiculo de proximitate conſanguinitatis & affinitatis, quæ affinitas eſt inter ſororium & uxoris ſororem, quæque prohibet inter illos matrimonium. Quod probavi ſupra.

NUM. VI.

Ait, quod terminum non intelligam, quid fictio Juris ſit, hoc loco, ſcilicet, Jus ita arctè ſibi connexos habet fratres & ſorores, ut eos pro una carne habeat.

Reſpondeo.

Dudum hoc ſcivi, quippe quod non eſt transmarinum, ſed tritum & vulgatum. At quod hæc fictio & optimo Juris fratres faciat, nec heri credebam nec hodiè. Sed hoc facit peculiaris illa proximitas, perquam fratres ſunt fratres, cujus cauſa eſt participatio ſanguinis ex uno aut duobus ſimul parentibus, quod plenius in Conſideratione meâ monſtravi. Cæterum, quando allego Geneſ. cap. XXXVII. verſu ſeptimo. Joſephus eſt caro noſtra & ſanguis, hunc ſuo more numero ſexto nugatur Cenſor, & hunc textum Moſaicum exagitat, quando colligit, Ergo duo boves fratres & una caro ſunt. Sed ſcoptica illa ipſi non in video authori. Habeat decem boves

ves Fratres, per me licet. Sed bos cornu ferit ille, caveto.

Adſertio n.57.

Mortem dixeramnon auferre propinquitatem. Abel eſt Adami filius ſive vivat, ſive moriatur Adam, Lea eſt Rachelis ſoror, ſive vivat, ſive naturæ alterutra concedat. Adſertio autem dicit. *Hoc ſcopum non ferire. Sanguinis conjunctionem hic rectè negari, quia hoc matrimonium tantum vivente uxore ſit prohibitum* Reſpondeo. Adſertio non audet negare, per mortem non ſopiri natam propinquitatem. Ergo ſcopum ferit, quod illa propinquitas inter ſororium & uxoris ſororem poſt uxoris hujus mortem maneat. Sed Adſertio negat hic interceſſiſſe ſanguinis conjunctionem, ex eo fundamento. Quod Deus ſororio alteram ſororem tantum prohibuerit, uxore vivente. At verò quis non videt prominulam illam & vicies repetitam petitionem principii hic radices agere, quando hic præſupponitur tanquam verum, quod verum non eſt, & cujus veritas per argumenta & rationes adhuc probanda eſt. Remitto igitur ad textum Levit. cap. XVIII. v.18. Et mulierem ad ſororem non aſſumito. Athnah Pauſa! Remitto ad textum Gen. c. II. quod ſororius cum uxore ſua factus ſit una caro. Remitto ad Gen. c. XXXVII. Quod ſoror ſororem propriè vocet carnem ſuam & ſanguinem. Remitto ad ſequelam hanc ſatis ineptam. Inter ſororium & uxoris ſororem non eſt conſanguinitas. E. inter illas perſonas non eſt propinquitas matrimonium impediens, quaſi verò nulla matrimonia propter propinquitatem ex affinitate natam, in Levitico prohibeantur Sic navigat Adſertio inter infames ſcopulos Acroceraunia!

NUM. IV. V.

Regerit Cenſor, quoties ad ineptas ſequelas remittam, remittere me ad meas, quibus mea ſcatent & fœtent.

Reſpondeo.

Hæc pertinent ad Domini Bucholzii ſedatum animum, quem ſupra promittebat, cum tamen ſui compos non ſit, cujus animus irâ æſtuat, cujus calamus ſuâ mordacitate, non tàm mihi, quàm cordatis lectoribus uti intelligo, ſatis fuit exoſus. Addit, ſi quis illationem hanc tribuat ſibi, ſcilicet hanc: Inter ſororium & uxoris ſororem non eſt conſanguinitas. Ergò nulla propinquitas impediens matrimonium, illum, inquio, nugari.

Reſpondeo.

Legatur Bucholzii Adſertio pag.54.num.57.ad 64. Et notet n.63. Ubi ſcribit. Hæc enim ipſius (me intelligit) non Dei prohibitio Tu carnis non duces ſororem uxoris tuæ, NB quia eſt proxima tuæ Altera autem

tu non duces uxoris tuæ ſororem, ne uxor tua exacerbetur, non eſt noſtra ſed Dei propoſitio.

Reſpondeo.

Hic ſunt Cenſoris verba, quibus illa addere poſſem ex numero 62. Non prohibetur uxoris ſoror NB quia eſt proxima carnis, ſed inverte, ne exacerbetur. Hæc inſipida Cenſor ſcribit contra luculentum verſiculum ſextum. Nemo accedat ad proximum, aut proximam carnis. Omnes prohibitiones ſequentes ad verſum decimum ſeptimum incluſivè prohibenr, propter propinquitatem carnis. Caro hic non intelligitur humana, bubula, agnina, quod Bucholcius obſervare debuiſſet, quando de bobus fratribus ſcriptitat, ſed intelligitur proximitas, quæ ex carnis propagatione, vel ex carnis copulatione oritur. Cenſor porro colligit. Inter ſororium & uxoris ſororem non eſt ſanguinis propinquitas, non ergo inter illos propinquitas ingrediens. Quia carnis propinquitatem inter has perſonas non admittit, & ſic affinitatem negat, quæ etiam eſt carnis propinquitas. Quod autem illam neget, certum eſt, quia aliam prohibitionis cauſam profert, quæ non eſt propinquitas, non conſanguinitas, non affinitas, ſed exacerbatio uxoris, hanc dicit eſſe cauſam prohibitionis, hanc Deus adjeciſſe. Quod Domino Cenſori rectè objeci, qui non didicit cauſam primariam à Moſe inculcatam verſu ſexto ſecernere, à conſequente malo, litibus ac turbis domeſticis, à cauſa ſecundaria externa, ſi cauſalem influxum habet in prohibitionem à priori, quod Cenſor nondum probavit.

Adſertio à Num. 58. ad Numer. 8.

Gamologia argumentum promit. *L 2.ſ.5.pag.*419.*ex Levit.c.*XVIII. *v.*16. ubi prohibetur fratria, additurque inibi cauſa. *Nuditas fratris tui eſt*, nimis tibi propinqua eſt. Hoc eſt, frater tuus eam nudavit, cum ea conſuevit. Non autem propinqua eſt conſanguinitate, quæ hic nulla eſt. Sed affinitate, ex nudatione orta. Sic altera ſoror non poteſt nubere ſororio, quia hic nuditas ſororis eſt, iſtud eſt, nudavit ſororem, conſuevit cum ea. Eadem hic cauſa; eademratio hic eſt. Ergo idem jus eademque prohibitio. Adſertio vocat *Exemplum hete[illegible]neum.* Ego autem puto, hoc eſſe homogeneum cum cauſa prohibitionis eadem ſit in utroque caſu. *Quædam a me allata reſpectum habere ad lineam rectam* dicit Adſertio. At in hoc exemplo de fratria, nemo lineam rectam oſtendet, quæ inter fratres & [illegible] plane non datur. *A[illegible] exempla non [illegible] liberam Dei voluntatem.* Sed libera Dei voluntas ſimul & lex eſt. *Non duces fratriam [illegible] uxoris ſororem v.* 18. Eadem etiam cauſa prohibitionis eſt ubique. Fratriæ eſt nuditas fratris tui. Sororius eſt nuditas ſororis tuæ.

tuæ. In utraque lege prohibente enim et Dei voluntas, quæ neutrum probat conjugium. Sed Adſertio dicit v. 6. & 18. *Diverſas extare propoſitiones.* Forſan hæ. *Nemo ducet fratriam. Nemo ducet ſorore uxoris, quando hæc vivit.* At poſterior non extat in textu, At nō duces fratriā. Non duces uxoris ſororē. Has propoſitiones probo, tanquā textuales. Adſertio dicit, *inter diverſas propoſitiones Logici non admittūt cōtradictionē.* Sed nō loquor de cōtradictione, loquor de conſecutione. Qui fratriam prohibet, ſimul prohibet uxoris ſororem, propter eandem prohibitionis cauſam. Eadem enim eſt cognatio in utroque caſu, quod nemo negaverit. Fratria eſt nuditas fratris, ſed ſororius eſt nuditas ſororis & retro. Hoc eſt facti & quidem luculenti. Frater tuus cognovit fratriam tuam, Ergo cave! Sororius cognovit ſororem tuam, Ergo cave! Qui eandem cauſam prohibitionis videt, quæ cauſa exprimitur in textu, & oſtendit, cur Deus prohibuerit, quidni in conſimili caſu, ubi eadem cauſa excubias agit, prohibitio colligeretur. Nam illa cauſa, quæ prohibitionem parit in voluntate divina, eadem cauſa in conſimili caſu ex aſſe reperta, pariter pariet conceſſionem. Abſonum! Medicus qui decumbenti prohibet Zingiber propter calorem, is concedet ægro calenti piper propter eundem calorem, Labyrinthus!

Num. 60. Sic loquitur. *De cauſa minus principali quæ proponit, in proprio ipſius cerebro, ſuo loco relinquenda ſunt.* Reſpondeo. Dixi, tu non duces uxoris tuæ ſororem, quia eſt caro carnis Levit. c. XVIII. v. 6. iſtud eſt, nimis tibi propinqua eſt. Excipit Aſſertio n. 63. *Hæc enim ipſius* (Antagoniſtæ) *non Dei aſſertio eſt.* Reſpondeo. non mea ſed ipſius Dei eſt hæc propoſitio. *Et mulierem ad ſororem ejus non adſumito.* Athnah, pauſa! Legite ſatis textum, & invenietis hanc propoſitionem Levit. c. XVIII. v. 18. Ratio quoque hujus propoſitionis non eſt mea, ſed Dei eſt. Extat enim in eodem capite v. 6 *Nemo ad carnem carnis, vel ad ullum propinquum aut propinquam carnis ſuæ accedat.* Ergo hæc cauſa in cerebro meo non eſt nata, fatebuntur omnes qui Moſen hoc loco legerunt. Pergit Adſertio. *Tu non duces uxoris tuæ ſororerem ne uxor tua exacerbaretur, non eſt noſtra ſed Dei prohibitio.* At talis prohibitio non extat in citato loco Levitici. Adverſatur diſtinctio Biblica, & adſcripta pauſa Athnah, quæ orationem hic ſuffulminat. Illa exacerbatio non eſt nativa & principalis prohibitionis cauſa, ſed eſt ratio exaggerans, & ſecundario, à jurgiis domeſticis deſumpta, in caſu illo ſecuturis, ſi quis exemplum Jacobi voluerit imitari, & duas ſimul in lecto geniali tolerare ſorores. Et hoc ego ſolus non dixi, uti perperam putat Adſertio, ſed hoc ante me dixit Magnus ille Theologus

Gerhardus,& alii multi, quod nemo neſcit, præterquam qui iſta non legit. Concludit Adſertio eodem numero. *Iudicet nunc quilibet cordatus, an Havemanni rationibus, an vero Dei plus fidei tribuendum.* Immò judicet eruditus lector, an textui originali, à Spiritu Sancto immediatè inſpirato, in ipſis bibliis Hebræis accuratè diſtincto, plus fidei ſi tribuendum quam textui malè diſtincto planè perturbato & contra verborum nativam cohærentiam detorto & allegato. De carne carnis nil addo, ſupra rē expoſui & evici.

Sequitur numerus 64. *Gamologia l. 2. tit. 5 pag. 420.* de conſcientia loquitur, quod ſi res tenerrima, quæ atomis aliquando offendatur. Colligo. In caſu, quando conſanguinitas aut proximitas certa eſt, ſed diſputatur & dubitatur, an illa talis ſit, quæ matrimonium impediat, vel quod idem eſt, an gradus ſit licitus vel prohibitus? Dic ſodes, utrius ſententia vel conſilium tutius eſt, illudne quod pedem figit & dicit, Ne fac, vel corrige factum. Vel illud quod propius quidem, ſed temerè accedit ad ignem hunc, & dicit, fac & dura in facto. Ego illud præferrem. Quid ad hæc Adſertio? *Se non ſuadere hoc conjugium propter conſtitutiones Chriſtiani Magiſtratus & Eccleſiæ n. 65* Reſpondeo, Juris reſponſum, ut non ſuadet hoc matrimonium; tamen bonâ conſcientia in tali matrimonio jam contracto vivi poſſe pugnat. Deinde præſupponit hoc matrimonium Jure duntaxat humano prohibitum eſſe non divino, quod ſimul periculoſum eſt ac ſupra omnes ſphæras falſum. *Et mulierem ad ſororem ejus non adſumito. Pauſa!* Num. 66. dicit, *argumentum à ſenſu contrario in omni Iure poſitivo procedere.* Reſpondeo. Hoc univerſaliter verum non eſſe, nôrunt eruditi, & ipſa Adſertio hoc fateri cogitur, eodem numero, ubi inquit, *ſalvis tamen caſibus, quibus id perdit officium ſuum à Doctoribus ſat luculenter annotatis.* Addit. *Philoſophos hoc argumenti genus excoluiſſe.* Repono. Aliud eſt excolere, aliud eſt dicere, quod talis collectio ſenſu contrario ſemper valeat & ubique. Et quis Philoſophus dixit. Prohibitionem abſolutam & univerſalem per collectionem à ſenſu contrario parere conceſſionem? Nullus & nemo! Sic res tam ardua, qualis hic tractatur, ruinoſæ hujus argumentationis ſabulo inædificari planè abnuit.

Num 67. de argumento loquitur, quod impugnem. Uno verbo. Non licet dum uxor vivit. Ergò licet, cum uxor moritur. Rectè hoc refutavi (1) Quia conditionata illa; *Non licet dum vivit,* planè non extat in Moſe, ſed univerſalis purè negans (2.) Conceſſio nullibi extat in Scriptura ſacra (3.) Non permittit ratio Moſaica, quia uxoris ſoror eſt propinqua carnis &c. Aſſertio regerit. *Non novum eſſe, me negare conceſſionem ex ſpeciali* & reſtricta prohibitione reſultantem, qui apertam prohibitionem inter avum & neptem negare auſus ſim. Reſpondeo. Reſtrictiva & ſpecialis prohibitio. *Non duces ſororem uxoris*, quamdiu hæc vivit, cerebri humani figmentum eſt,

cui:

cui tamen Reſponſu Juris planè innititur, licet eam è textu nunquam probare potuit. Avum neptem & proneptem ducere poſſe nuſpiam dixi, per febrim mihi hoc non incidit, qui Juvenis non potui neſcire, matrimonia in linea recta aſcendente & deſcendente prohibita eſſe. At dico Avus non ducet proneptem. Hanc prohibitionem formaliter non extare in Levit. c. XVIII. quod expono totidem literis & ſyllabis non extare Adſertio mihi eam monſtret. Et jam ante reſpondi, mirum eſſe, quod non viderit erratum typographicum, quando neptem refert, cum proneptem intelligi viderit, quod quilibet in jure Connubiorum exercitatus nullo negotio videre potuit & debuit. Eodem numero pergit. Adſertio his verbis. *Det ipſa firmas rationes, quare illa conceſſio non ſit eruenda ex deficiente Prohibitione.* Reſpondeo conceſſio hæc, *licebit tibi ducere uxoris ſororem quando mortua eſt uxor*, hæc, inquam, erui non poteſt in æternum ex *Levit.* c. XVIII. v. 18. Quia prohibitio hic non deficit, quod Adſertio temerè aſſerere audet, ſed extat illa, eſtque prohibitio (quod notandum) pura & univerſalis. *Et mulierem ad ſororem ejus non aſſumito.* Paul. Iſtud eſt ex v. 6. *Nullus homo ducet uxoris ſuæ ſororem.* Hic Adſertio habet firmiſſimam rationem, quam infringat; ſi poteſt.

Pergo ad Num. 68. Colligo l. 2. tit 5. pag. 422. Non poſſum ducere ſororis, defunctæ meæ uxoris filiam, propter neceſſariam conſequentiam ex *Levit. c.* XVIII. v. 14. Si non licet filiam ducere in propinquitate remotiore & magis Laxa. Ergo multo minus poſſum ducere ejus matrem defunctæ uxoris meæ ſororem, in propinquitate magis propinqua & conſtricta. Certum enim eſt ex Levit. c. XVIII. v. 6. quando prohibetur proximitas remotior, magis prohiberi propinquitatem propinquiorem. Sed Adſertio ſuam hic oſtendit alacritatem & cubicam confidentiam, hiſce verbis n, 68. *Flebile autem argumentum eſt, quod cohortem claudit, Non poſſum ducere uxoris meæ defunctæ ſororis filiam, Multo minus ſororem ipſam, cum id petitione principii laboret, neque per ullam rationem præter quam per negatam prohibitionis reciprocationem, & reſpectum graduum a Moſe habitum probari poſſit. Quæ enim ſequela? Nuditatem Patrui tui ne retegito ad uxorem ejus ne appropinquato, amita tua eſt Levit. c.* XVIII, *v.* 14. *Ergo non potes ducere uxoris tuæ ſororis filiam &c.* Reſpondeo, quando Adſertio argumentum hoc quo ex propinquitate remotiori prohibita, colligitur, propinquitatē propinquiorem magis eſſe prohibitam, vocare audet flebile argumentum, hic aut neſcivit, hoc argumentum â Theologis omnium orthodoxorū conſenſu magnis, Chemnitio Gerhardo, & multis aliis, quos prætereo, imò â JCtis celeberrimis uſurpatum eſſe, aut iſtud ſcivit. Si neſcivit, deflenda tot

 erudi-

eruditiſſimis viris ſe ſiſtet Adſertio mihi oppoſita: Si ſcivit, deflenda ſe ſiſtet ſingularis temeritas, vel temeraria ſingularitas. Eligat Adſertio utrum velit. Quando ex Levit. c. XVIII. v. 14. autumat per neceſſariam conſequentiam non poſſe colligi prohibitionem uxoris ſororis, illico graviſſimis Theologis & JCtis contradicit, imò incidit in hoc abſurdum, quod idem factum ſive eandem proximitatem, Deus in Levitico ſimul conceſſerit & non conceſſerit. Identitas propinquitatis hic æque ineptè negabitur, ac ſi quis identitatem furti & facti negaret, quod in duobus factis iisdem circumſtantiis planè ſtipatis commiſſum eſſet, quamvis prius Romæ, poſterius Venetiis, prius menſe Majo, poſterius, quando Julius arſit, prius â Lentulo, poſterius â Cajo commiſſum ſit. Graduum mentionem hic non facio, infra diſpiciam, quid ſentiendum ſit de quæſtione illa, An prohibitionis Levit. c. XVIII. tantum ad perſonas nominatas, vel ſimul ad gradus pertineant? Sed nil ad rem hoc facit. Generationem nemo negabit. Ergo nec propinquitatem ex generatione natam. Copulam carnalem nemo negabit. Ergo nec affinitatem ex illa genitam. Sed de his infra. Tandem Judicium Lectori relinquit Adſertio, uti fas eſt, *Utrum digniora & veriora ſint, quæ ex verbis & mente legis divinæ clara, quam quæ ex mutatione affinitatis in fictam carnis carnem, exemplis heterogeneis & diſſimilibus, nec non ejusmodi rebus aliis congeſta ſint ex parte Adverſa* Concludo hanc diſputationem & lectori veritatis amanti judicium permitto. An digniora & veriora ſint, quæ ex originali textu à Deo immediatè inſpirato, è textu rectè in ipſis bibliis hebræis diſtincto, è textu in ſua cohærentia relicto, cœteriſque argumentis ex identitate facti & propinquitatis hauſtis, ex propinquitate remotiori prohibita. Ex prohibitione pura nō limitata, ſed univerſali negante concepta, & aliis hujus cenſus ſolidiſſimis probationibus ſunt ex verbo Dei propoſita, quam illa, quæ ex patre adverſa, ex verſione, eâque malè diſtincta, verborumque legitima cohærentia turbata, & ſic male intellecta, imò pro enunciatione ſeu prohibitione limitata ac reſtrictiva lectori obtruſa, quæ tamen pura eſt in textu & univerſalis, adeoque ab argumentatione, quæ aliquando tantum â ſenſu contrario derivari poteſt, cœteriſque nutantibus, eruta & congeſta ſunt, utra veriora, quibus conſcientia tutius nititur, Judicet benevolus lector. Ego veritatem divinam contra adſultus quoſvis modeſtè hic defendo, quod mihi oppoſita Adſertio, eaque alicubi ſatis aculeata imponere voluit, quin etiam optima cauſa, & Calculo excellentiſſimorum quorumlibet virorum ſatis ſepta infallibilique textui ſacro innixa mihi impetravit. Claudamus igitur hoſce rivos, quoniam ſat prata bibere!

Sequitur

Sequitur Examen.

NUM. I.

Falſum eſt, dicit Examinator, quod ſoror uxoris ſit nuditas ſororis ſuæ, ut fratria eſt nuditas mariti.

Reſpondeo.

Hic notabile crimen falſi iterum committit Cenſor, quod oculi monſtrant. Sic enim ſcripſi in Conſideratione meâ num. 1. Frater tuus nudavit fratriam. Ergo illa tibi nimis propinqua eſt propter affinitatem ex nuditione ortam. Si altera ſoror (ducenda) non poteſt nubere ſororio, quia hic (ſororius) nuditas ſororis eſt, id eſt nudavit ſororem tuam, quam uxorem habuit. Hic non dico, quod ſoror uxoris ſit nuditas ſororis ſuæ, quod Cenſor petulanter mihi affingit, & quod impoſſibile eſt per naturam. Duæ enim ſorores non poſſunt eſſe conjuges, & ſe invicem nudare.

NUM. II.

Non ducere, inquit, cauſam excogitare, quæ Moſi in mentem non venit, ſcilicet nuditatem, & rejicere cauſam expreſſam, ſcilicet metum anguſtiæ uxoris.

Reſpondeo.

Impudentia eſt, negare id, quod textus expreſſis verbis dicit & docet. Levit. cap. XVIII. verſu decimo ſexto. Nuditatem fratriæ tuæ ne retegito. Qua de cauſa? Nuditas fratris tui eſt. En cauſam à Moſe additam, quam Moſi in mentem non veniſſe, audacter affirmat Cenſor. Erubeſcat! Sed ne ſit hic absque ſyllogiſmo. Concludo. Quam cauſam Moſes expreſſis verbis ponit, illa Moſi non venit in mentem. Atqui cauſam nuditatis ſive affinitatis Moſes expreſſis verbis ponit verſu decimo ſexto. Ergo, cauſa nuditatis ſive affinitatis à Moſe expreſſis verbis poſitæ non venit Moſi in mentem! Stulte. Dicet forſan non loqui de fratria, ſed de uxoris ſorore.

Reſpondeo.

In eodem verſu cum prohibita fratria, etiam uxoris ſoror per neceſſariam prohibetur conſequentiam, Quia dū ſororius nudavit ſororem, uxorem defunctam, ſicut defunctus frater nudavit fratriam. Hinc inter ſororium & alteram ſororem illi ducendam, nuditio illa peperit arctam affinitatem, quæ prohibet, ſicut nuditio talem peperit affinitatem, inter fratrem ſuperſtitem & fratriam, quæ prohibet. Sic cadunt uno ictu Lemures ſed ſpectra Cenſoris. Adde autem ſi illa affinitas prohibet, nullo caſu fratriam ducere liceret, quod tamen licet Deuteron. cap. XXV. verſu quinto.

Reſpondeo.

Affinitas ſemper prohibet in caſu extantis prolis. Levitici cap. XVIII. verſu decimo ſexto, Quod autem non prohibet in caſu deficientis pro-

lis

ſis Deuteron. c.XXV.verſu quinto,id non tribui affinitati, quæ hunc effectum non habet,ſed luculentæ divinæ exceptioni, & in illo caſu conceſſioni.

NUM. IIII.

*N*aſcitur hic ſyllogiſmus. Qui habet liberum arbitrium prohibendi & non prohibendi uxoris ſororem, illum non poſſunt cogere exempla prohibitorum per legem poſitivam. Atqui. DEUS habuit liberum arbitrium &c. Ergo.

Reſpondeo.

Deus non cogitur ab exemplis prohibitorum, ſed liberè prohibet fratriam extante prole,& eàdem opera liberè prohibet uxoris ſororem, propter proximitatem eandem,quæ in illis caſibus non fert matrimonium Quam enim proximitatem DEUS libere voluit eſſe prohibentem, hanc ſinit eſſe prohibentem, ubi illa intercedit inter perſonas. Sed æquè intercedit inter ſororium & defunctæ uxòris ſororem,ac intercedit inter fratriam & fratrem ſuperſtitem Ideoque prohibet ibi ſicut hic, & versâ vice.

NUM. V.

Fratriam dicit non indefinitè,nec niſi vivente marito jure naturæ eſſe prohibitam.

Reſpondeo.

Qui fratriam ducit vivente fratre,adulterium committit.Sed de adulterio non loquitur verſus decimus ſextus,ſed verſus vigeſimus. Pergit prohibitam eſſe fratriam lege poſitiva verſu decimo ſexto.

Reſpondeo.

Prohibita eſt marito non vivente, ſed defuncto,prole relictâ propter arctiorem proximitatem lege divinâ verſu decimo ſexto.An illa ſit tantum poſitiva , nondum probavit Cenſor,licet cum Jeſuitis contra orthodoxam ſententiam audacter tumultuetur , quod infra videbimus. Addit. Non duces ſororem ad ſororem ſic loqui textum.

Reſpondeo.

In verſu decimo ſexto ſic non loquitur textus. In verſu decimo octavo juxta ſecundam ſententiam orthodoxam ſic loquitur textus. Et mulierem unam ad alteram non accipies. Ergo cadit argumentum & medius terminus Cenſoris, qui inviſibilis eſt in verſu decimo octavo, inquo juxta ſanctæ linguæ Idiotiſmum , de propriè dictâ ſorore ne jota.

NUM. VI.

Arguatur. Sororius,inquit, eſt nuditas ſororis,non eſt Moſis enunciatio.

Reſpon-

Reſpondeo.

Sororius non eſt nuditas ſororis ducendæ, quod abſurdum eſt, ſed eſt nuditas ſororis ejus, quam habuit uxorem, hoc verum eſt. Fratria eſt nuditas fratris denudantis defuncti, ſic loquitur Moſe. Sic ſoror illa, quam ſororius duxit uxorem, eſt nuditas ſororii nudantis, ſi hoc negat Cenſor, En abſurdum, quo è veſtigio conſtringitur. Sic prior ſoror, ſororii uxor, non eſt ſororii uxor, uxor non eſt uxor, quia illam non nudavit ſororius. Dicat Examinator, an fratriam à fratre nudatam, frater ille non nudaverit? An priorem uxorem à ſe nudatam non nudaverit ſororius; Videbit Cenſor hic miſeriam ſuam. Frartia eſt nuditas fratris defuncti, ab illo nudata ſive cognita eſt. Sed frater defunctus non nudavit illam, non cognovit illam quia dicitur nuditas fratris defuncti, non autem frater defunctus dici nuditas fratriæ poteſt. Ergo illam non nudavit.

NUM. VII.

Urget propoſitionem ad Soror non debet duci ad ſororem,

Reſpondeo.

Supra refutatum hoc eſt. Qui enim ſororem unam habuit uxorem, & alteram poſtea ducit, is ſororem ad ſororem ducit etiam atque ille, qui ſimul duas duceret. Sed cur iſtis immorarer? Verſus decimus octavus prohibet polygamiam, ne mulier una ducatur ad alteram. Hoc reſponſo amiſit Cenſor totum verſiculum, qui juxta Idiotiſmum hebræum ſororem propriē dictam non intelligit in illo verſiculo allegato.

NUM. VIIII.

Docet Cenſor, quod DEUS fratriam non prohibuerit ideò, quòd ſit nuditas fratris.

Reſpondeo.

Manifeſtum falſum hoc eſt, teſtis eſt verſus decimus ſextus. Cur non retegenda eſt fratria? Quia eſt nuditas fratris tui, & quod conſectarium eſt tibi propter illam retectionem arctiori affinitate proxima eſt.

NUM. X.

Iterum evolant columbæ veteres. Sororius eſt nuditas uxoris ſuæ, ita non loqui Moſen.

Reſpondeo.

Quod ſororius non nudaverit uxorem ſuam, quando illa nudata eſt ab illo ſororio, ubi hoc Moſen negavit! Nullibi Famulus verberatus eſt à Cēſore; ſed Cēſor nō verberavit famulū. Pulcrè! Quid hic dicunt, inſania.

NUM. XI.

Cave, ne ducas fratriam, quia eſt nuditas fratris tui. Sed ait Cenſor, Moſe hoc non dicit de uxoris ſororeCave propter hanc cauſam, qui a ſororius cognovit ſororem tuam, ſed dicit, ſororius afflicturus eſt uxorem ſuam, ſi te duxerit ad ſororem.

Reſpondeo.

In verſiculo 16. dixit Moſe de uxoris ſorore idem, quod dixit ibi de fratria, quia eadem eſt cauſa prohibitionis, ſcilicet nuditas, ſive arcta & ex nudatione orta affinitas, inter fratriam & fratrem ſuperſtitem. Et nuditas ex nudatione orta, eadem illa affinitas inter ſororium & ſororem ſuperſtitem. Quod verſu decimo octavo dicitur de afflictione uxori, ſi ibi ageretur de uxoris ſorore, nihil proficeret Cenſor, quia cauſa hæc ſecundaria, extrinſeca & adventitia, ſive conſequens de jurgiis, domeſticis non excludit cauſam principem omnium prohibitionum à verſu ſexto ad verſum decimum ſeptimum, videlicet proximitatem arctiorem, quam ipſe Moſes facit cauſam primariam iſtarum prohibitionum verſu ſexto. Interim Idiotiſmus hebræus in verſu decimo octavo de ponte dejicit Cenſorem, cum omnibus ſuis figmentis & ſpuriis argumentis. Quando ibi prohibet duci mulierem unam ad alteram.

N U M. XII. XIII. XIV.

Syllogiſmum in invenio, cujus architecturam non agnoſcit Conſideratio mea. Proximitas ait conſideratio, quæ parit prohibitionem in uno caſu, non pariet conceſſionem in caſu planè ſimili. At quid Cenſor? Non erubeſcit textui apertè contradicere, num. 13. Fratria eſt nuditas fratris, hoc inquit, non parit prohibitionem, quando verſiculus decimus ſextus hanc cauſam prohibitionis exſertis verbis ponat: Hem qualis audacia. Cenſor pergit, conceſſam eſſe fratriam Devteron. cap. XXV. verſu quinto. At vicies reſpondi. DEUS expreſſe in caſu deficientis prolis iſtud conceſſit. Nuſpiam autem expreſſis verbis conceſſit defunctæ uxoris ſororem. Conſequentiæ inſipidæ Judaicæ non faciunt conceſſionem divinam.

N U M. X V.

Sororius, ait Examinator, non vocatur nuditas ſororis.

Reſpondeo.

Si intelligit ſororem ducendam, peſſimè hoc mihi affingit, quod in mentem mihi venire non potuit, quia ſoror cum ſorore rem habere nequit, Si autem intelligit ſororem à ſororio ductam in uxorem, abſurdus eſt cum uxor abſque nudatione non ſit uxor, Soror uxor eſt nuditas ſororii, vel nudata à ſororio. Ergo ſororius eam non nudavit Hoc Moſe negat.

Scopæ

Scopæ diſſoluta! Explicatio ſatis eſt dilucida, & ipſâ certior certitudine.

NUM. XVII.

DEUS, ait Cenſor, concedit mortuo fratre fratriam, Sic concedit mortua ſorore ſororem.

Reſpondeo.

Illimitata illa Deus mortuo fratre fratriam concedit, falſiſſima eſt. Nunquam concedit mortuo fratre, fratriam, niſi in ſolo caſu deſideratæ prolis: DEUS concedit mortua ſorore ſororem, dicebat Cenſor. Falſum & hoc eſt, donec monſtret illam conceſſionem luculentè, ſicut conceſſionem fratriæ in caſu non extantis prolis monſtrare poteſt Deuteron. cap. XXV. verſu primo. Hoc Cenſor nunquam præſtabit, nihil enim habet niſi Thalmudicam conſequentiam inſulſam & exaloſam ab Eccleſia orthodoxâ.

NUM. XVIII.

Moſe non dixit, ait Cenſor, Tu non duces uxoris tuæ ſororem, quia eſt proxima carnis,

Reſpondeo.

Hoc Deus verſu decimo ſexto dixit, non tantum de prohibita fratria, ſed ſimul quoque de prohibita uxoris ſorore, quod per neceſſariam conſequentiam inde elici poteſt, æque ac elicitur ex Moſe, quod Jeſus Nazarenus ſit Meſſias. Moſe de me ſcripſit, dicebat Salvator apud Johannem. Si illi crederetur, utique & mihi crederetur. Moſes hoc quoque dixit verſu ſexto. Nullus homo accedet ad proximum aut proximam carnis ſuæ. Illa autem proximitas oſtendi poteſt, quoties prohibetur matrimonium horum aut illorum, ſive inter has & illas perſonas, in ſingulis verſiculis, quos jam aliquoties allegavi.

NVM. XIX.

Ait Cenſor. Non duces proximam carnis. Ergo eſt proxima carnis. Ergò mulier in immunditie eſt proxima carnis.

Reſpondeo.

Rubore ſuffundi debeat vir Profeſſor ita nugari & doloſè pervertere qui toties legit, quod proximitas carnis ſit cauſa prohibitionis, quoties prohibitio inter perſonas, quæ contrahere nequeunt à verſu ſexto usque ad verſum decimum ſeptimum à Moſe perſpicuis verbis ponuntur, & in eadem proximitate ſtantes ſub intelliguntur, quod toties inculcavi. Cur ergò Dominus perturbator hoc extendit ad illos verſiculos, qui in fine capitis leguntur, de quibus nec mihi nec aliis eruditis in hoc paſſu quicquam in

mentem venit. Ergò metat ſua falſa, quæ ſine fronte Cenſor ſeminat.

N V M. XX.

Antiquum nobis recurrit & chaos. Prohibitionem, aſſerit, hanc legi Non duces uxoris ſororem ad affligendum.

Reſpondeo.

Hoc falſiſſimum eſt, propter diſtinctionem biblicam, quæ contradicit, & verba ad affligendum, non ad primum verſiculi membrum, ſive ad prohibitionem, ſed ad alterum membrum, ſive prohibitionis rationem pertinere oſtendit, quod omnium oculi vident, qui hebræa legunt, & pauſas nôrunt. Accedit ſecunda ſententia orthodoxa. Et mulierem unam ad alteram non accipies. Hic de ſorore in ſignificatu proprio ne gry ne my. De Athnach ſupra reſpondi, & proſtravi ineptias, quas hic repetit. Cenſor num. 22.25.

N V M. XXVI.

Quod addit, Ratio à jurgiis domeſticis deſumpta poteſt eſſe principalis.

Reſpondeo.

A poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Vt ſi videre didicit Cenſor, videat & legat cauſam prohibitionis principalem verſu ſexto, quæ à proximitate deſumpta eſt. Hæc illa princeps cauſa prohibitionis, quam ipſe ſummus ponit Legiſlator.

N V M. XXIX.

Loquitur Cenſor de jure humano. Ego autem loquor de jure divino quo uxoris ſoror ſit prohibita. Videatur Conſideratio mea numero. 7. Addit nuptias cum defunctæ uxoris ſorore, nullibi in ſcriptura prohibitas eſſe Quod eſt falſum ſeſquipedale ex verſu ſexto, verſu decimo ſexto. Quod autem uxoris ſoror non prohibeatur verſu decimo octavo per idiotiſmum linguæ, hoc lubens concedo, ſed ſic amiſit Cenſor omnia ſua cum toto armamentariô, quod quæſitum ibit in Athnach, ubi forſan citrus fruſtrum arcæ Noachi reperiet, quam ſolidum opinionis ſuæ Judaizantis fundamentum.

N V M. XXXI.

Affirmat Dominus Cenſor argumenta à contrario NB in omni jure poſitivo procedere.

Reſpondeo.

Verba in omni jure poſitivo involvunt univerſalitatem, quam rectè negavi, & ſic rectè reſpondi, quod non ſemper valeat. Nec philoſophos id ullibi docere affirmare, quod enunciatio univerſalis ſimpliciter negans, po-

na

nat conceſſionem & affirmationem. Nec procedit hoc argumentum regulariter, quod affirmat Cenſor, quia talis regula nullibi extat in Moſe, dum ibi regula non eſt, regulariter ibi recipitur ſæpiſſime.

NUM. XXXII.

Stolidum eſſe Cenſor dicit ſic colligere. Moſes univerſaliter & abſolutè prohibet uxoris ſororem. Ergò per argumentum à contrario licet eam ducere.

Reſpondeo.

Hoc urgeo & ſtolidum eſſe dico cum Cenſore. Cenſor autem vult ita colligere. Moſes non prohibuit abſolutè & univerſaliter defunctæ uxoris ſororem, ſed conditionaliter ac limitate, non debet duci ad affligendum, non debet duci in vita ejus. Ergò per argumentum à contrario licebit illam duci, uxore mortua, quando affligi nequit. Hoc falſiſſimum eſſe probant verba, ſi accipias de ſorore propriè dictâ verſiculum decimum octavum. Et mulierem ad ſororem ejus non accipito. Pauſa. Nullum argumentum, hæc verba DEI, univerſaliter ac ſimpliciter prohibentia uxoris ſororem refutabit, & ex illâ conceſſionem derivabit, niſi in Logicâ Judaicâ natum fuerit.

Quæ ſequuntur num. 33. ad numer. 38. nil novi diſſeminant, ſed veterem cantilenam repetunt, ſicut ranæ ſuum βρεκεκεὰξ Et.

NUM. XXXIX.

Nil opponit novi, ergo refutatione non indiget, quod ſupra confutatum eſt Scoptica, quæ ſemper miſcentur, Authori, qui pungentem Ironiam habet contubernalem individuam, lubens condono.

NUM. XLI.

Hic occupatur Cenſor in eluendo ſuo ſarcaſmo, quando flebile vocat argumentum à remotiori gradu deſumptum, quod Theologi & Iuris conſulti uſurpant, quod ſciunt, qui libros legunt. Quando gradus remotior prohibetur, magis prohibetur propior Hic regerit, eſſe argumentum quo ſe Lutherus à Diabolo tentatum ſcribit, ſcilicet numerum adverſariorum.

Reſpondeo.

Erubeſcere debebat hic Examinator, quando noſtros Theologos ac J. Ctos orthodoxos comparat cum inſulſis Monachis, furentibus Papiſtis, ſanguinareis Conſultatoribus, ſcripturæ ſ. contēptoribus, & Eccleſiæ hoſtibus, qui Luthero adverſabantur. Hic eſt ſimile egregium. brutum plumbeum, ſed Profeſſore tam tacuo & Seraphico Doctore indignum. Cœterū opponit argumentū hoc eſſe rejectum à Brentio & Luthero.

Reſpon-

Reſpondeo.

Cenſor totum Lutherum ſibi depingit ex prioribus ſcriptis Brentium unum nominat hic, & Sarcerium præterit, quem *D.* Chemnitius absque Judicio plurima conglomeraſſe rectè queritur. Ergo Bucholzius & Brentius vident omnia. cœteri omnes nihil,

NUM. XLIII

Ait me poſtdumeta Chemnitii & Gerhardi me abſcondere.

Reſpondeo.

D.Chemnitius & Gerhardus non indigent dumetis. Sarcaſmus eſt Cenſoris-Non metuunt lucem & planitiem, quia verbum DEI docent, & divinam veritatem adſerunt. Textibus pugno. Textum originalem à ſpiritu ſancto immediatè inſpiratum, oppono Cenſori, quod oculi legentium teſtabuntur, non igitur ſoli autoritati innitor. Theologos cito & J.Ctos, non in quantum adſerunt, ſed in quantum adſerunt ac docent cum verbo DEI. Quinque argumenta Examinatori in limine Adſertionis meæ Moſaicæ oppoſui, inter quæ tantum ultimo loco ſtat illud de gradu remotiori, quod ſtabit, dum ſtabit recta ratio, quæ docet, quod dum proximitas minus ſtringens & remotior prohibet, utiq; magis prohibere illam proximitatem, quæ magis ſtringit & propior eſt.

NUM. LVII.

De prohibitione diſpoſitiva limitativâ loquitur, quæ confutata ſunt jam ante. Oculi hebræa legentium ſciunt craſſè hic errare examine dignum Examen.

Huc usque diſputat Cenſor pro obtinendo matrimonio cum defunctę uxoris ſorore. Si quando thraſonice fulminare, ſtrepere, affingere, ſophiſticari, præ ſe omnes alios contemnere, irridere, exagitare & exclamare, idem eſt, quod diſputare, ſat ſtrenuè diſputavit examinatum Examen Sed hęc DEO veritatis, ſuæ adſertori & eruditorum judicio facilis committo, & cerebro calenti lubens, condono.

APPENDIX.

VIdent cordati, quique extra partes, quòd genuina, princeps ac unica quæſtio, ob quam contentionis ſervam hîc reciprocamus, ſit illa: *An uxoris ſoror, à Deo, per Moſen, Sororio omnino ſit prohibita in cap. XVIII. Levitici, ut eam ducere nequeat, ſive vivat uxor, ſive ex mortali hac*

ſtatione

ſtatione ad melioreſiverit ? Ego affirmo, quòd à ſororio duci per legem Levitici nequeat uxoris ſoror, ſive vivat, ſive naturæ conceſſerit uxor. Dn. Buchholzius negat, & ait; Duci uxoris ſororem poſſe, ſi quando uxor inter cœlites agit. Hic eſt cardo Diſputationis. Ego ſto à recepta ſententia, textui divinitus inſpirato exaſſe congrua, ſive is ſit v. 17, ſive 18. citati capitis. Verſicul. 17. hoc vult: *Tu frater non accipies fratris tui defuncti uxorem.* Et per neceſſariam conſequentiam: *Tu ſoror, non accipies ſororis tuæ defunctæ maritum.* Eadem enim utrobique eſt proximitas ſive affinitas. Verſus 17. *Et mulierem ad ſororem ejus non accipies*: Athnach Dn. Bucholzius autem novitates Rabbinicas & Jeſuitas acriùs, quàm par erat, in hoc ſuo Examine hic examinato, iterum ivit defenſum, ſibique hoc indulſit, abſque ligum & modeſtiæ præſidio, aculeato ſtylo contra me diclamare, & neſcio quas concitare tempeſtates, quod indicium quidem eſt æſtuantis cerebri, ſed dolentis conſcientiæ, & pungentis veritatis, quam qui ſuperciliosè premit, ut ſuam authoritatem extollat, nullo negotio in vitilitigandi pruriginem incidit, convitiisque, ac ſcabro pugnat ſtylo, quo tamen ne hilum proficit. Vidi quoque in hoc Examine, quanto molimine Dn. Examinator Bellarminum, & Sociennos, contra noſtros Theologos defendat, quaſi gradus ille, ſive cognatio illa, inter Fratriam & Fratrem ſuperſtitem, ſororium & uxoris ſororem, lege Naturæ non prohibeatur. Quam telam abrupi hâc vice, ne ſub illa cucurbita ſe tegat noſter adſertor. Prima enim quæſtio & Princeps; *An uxoris ſoror ſimpliciter ſororio in Levitico ſit prohibita ?* Decidenda erit: poſtea demum, de qualitate legis prohibentis diſputari poteſt. hic præcedit quæſtio, an detur Lex uxoris ſororem ſororio prohibens in Levitico? Deinde alia naſcitur quæſtio, qualis ſit lex illa prohibens, Naturalis an poſitiva ? Prima quæſtio nervum noſtræ Diſputationis propriè attingit, non altera. Paucis multa dicam. Jus Naturæ, aut notat prima juris Naturæ Principia, mentibus inſita, qualia ſunt, *Deum eſſe colendum, Parentes eſſe honorandos*: Aut notat Concluſiones, ex principiis juris Naturæ deductas, quæ deductæ tandem reduci poſſunt ad aliquod luculentum juris naturæ Principium. Quando igitur dico, Deum non poſſe diſpenſare contra legem Naturæ, id verum eſt, ſed de primis hujus juris Principiis.

Quando igitur Diſpenſatio Divina circa nuptias Jacobi, duas ducentis ſororis, circa Fratriam, in caſu deficientis prolis, allegatur. Hinc colligi poteſt Illa Matrimonia immediatè non impingere in prima juris Naturæ Principia, & ſic Divinam Diſpenſationem hic locum habe

habere potuiſſe. Diſpenſationi autem humanæ illa ſubeſſe Matrimonia, nemo hinc, niſi infrunitus, unquam colliget. Nec colliget hinc quiſpiam, has prohibitiones fratriæ, uxoris ſororis, in Levit. cap. XVIII. non eſſe juris naturæ, ideo, quia prohibita non illico impingunt, in prima illa juris Naturæ Principia immediatè. Ineptè! Nam impingunt in concluſiones ex Principiis juris Naturæ deductas, & reduci queunt, ad aliquod juris Naturæ clarius principium, cui arietem intorquent, ſcilicet huic *Nullus omnino homo* [non Judæus tantùm] *accedat ad proximam carnis*. Et hoc ſenſu, hæ prohibitiones ſunt juris Naturæ, tanquam concluſiones inde hauſtæ, quod, qui ſapit, non negabit. Hæ quoque prohibitiones, omnes obligant homines, nulli enim homini, permiſſum eſt, ad proximam carnis accedere. Obligant omni tempore, nullum enim tempus, ſecum defert ullam hujuſmodi conceſſionem. Ergo. Ergo hæ prohibitiones divinæ in Levitici cap. XVIII. poſt verſ. 6. ad verſ. 18. non poſſunt Leges poſitivæ appellari, ſicut Leges quædam humanæ, ſicut Leges deſituræ, ſicut Leges, reſpicientes ſolos Judæos, & Rempublicam judaicam. Abſit! Hæc, quæ paucis expono, maſculi ſtatuminant celeberrimos Theologos, qui uno ore docent, prohibitiones Leviticas, verſ. 6. ad verſ. 18. cap. XVIII. circa matrimonia, eſſe juris Naturæ, quod probant herculeis rationibus, quos in Adſertione Reſponſi Moſis allegavi. Et his calculum etiam ſuum olim addiderunt, Academia Italiæ, & Galliæ, contra ipſos Jeſuitas, & Dn. Bucholzium quemadmodum ſequitur. Videt igitur JCtus Bucholz, authoritatem Bellarmini & ſociennorum ſuorum, authoritate tot Academiarum, æquè ſub pontificis Romani dominatu florentium ac vernantium dirui ac proſterni in hoc puncto ac paſſu, tanquam à fulmine Jovis per purum tonantis. Et ſic authoritas authoritati opponitur, major minori.

Graviſſimæ, atque exactiſsimæ Illuſtriſsimarum totius Italiæ & Galliæ Academiarum cenſuræ,

efficaciſſimis etiam quorundam doctiſſimorum virorum argumentationibus explicatæ de veritate illius Propoſitionis, videlicet, quod ducere relictam Fratris mortui ſine liberis, ita ſit de jure divino & Naturali prohibitum. Ut nullus Pontifex ſuper hujuſmodi matrimoniis Contractis, ſive contrahentes diſpenſari poſſit.

Impreſſ. Londini in officina Thomæ Berthleti Regii Impreſſ. Menſe Aprili An. Dni. M. D.XXX.

Cenſura Almæ Univerſitatis Aurelianenſis.

Nos prædictum Collegium, poſt multas ad prædictorum dubiorum diſputationem (de more noſtro) factas Seſſiones & congregationes poſtquam varios utriusque Teſtamenti, interpretumque Juris tum Divini tum Canonici Locos quoad facere potuimus) examinatos, & omnibus mature atque exacte penſatis & conſideratis, definivimus, prædictas nuptias citra divinæ Legis injuriam, attentari non poſſe, etiãſi ſummi põtis accedat indulgentia, vel permiſſus. In cujus rei teſtimonium præſens publicum Inſtrumentum à Scriba præfatæ almæ univerſitatis Subſignari fecimus, ejuſdemque ſigillo communiri. Actum in Sacello beatæ Mariæ Boni nuncii Aurelianenſis Anno Dni milleſimo quingenteſimo, vigeſimo nono, die quinta menſis Aprilis.

Cenſura Facultatis Decretorum almę univerſitatis Pariſienſis.

In nomine Domini, Amen, Cum propoſita fuiſſet coram nobis Decano & Collegio Conſultiſſimæ Facultatis Decretorum Pariſienſis Univerſitatis quæſtio. An Papa poſſit diſpenſare, quod Frater poſſit in uxorem ducere, ſive accipere relictam Fratris ſui, matrimonio conſummato per Fratrem præmortuum, Nos Decanus, & Collegium præfatæ Facultatis poſt multas Diſputationes, & argumenta hinc inde ſuper hac materia facta ac habita, cum magna & longa librorum, tam Divini quam Pontificii & Civilis jurium revolutione. Conſulimus & dicimus. Papam non poſſe in facto Propoſito diſpenſare. In cujus rei Teſtimonium has præſentes Sigillo noſtræ Facultatis, & Signo noſtri Scribæ primi bedelli muniri fecimus. Datum in Congregatione noſtra apud ſanctum Johannem Lateranenſem, Bariſius, die viceſima tertia Menſis Maji. Anno Domini milleſimo quingenteſimo Trigeſimo.

Cenſura Facultatum juris Pontificii & Legum univerſitatis Andegavenſis.

Nos præfati Rector & Doctores poſt plures ad diſputationem hujusce modi quæſtionum & veritatem comperiendam factas ex more Congregationes & Seſſiones, poſtquam varios juris tam divini quam Humani Locos, qui ad eam rem pertinere videbantur diſcuſſos, multas quoque rationes in utramque partem adductas, & examinatas, omnibus fideliter Conſideratis & matura deliberatione præhabita: definivimus neque divino neque Naturali jure permitti homini chriſtiano etiam cum Sedis Apoſto-

poſtolicæ authoritate, ſeu diſpenſatione ſuper hoc adhibita, relictam Fratris, qui etiam ſine liberis poſt conſummatum matrimonium deceſſerit, uxorem accipere vel habere. In quorum omnium ſupra dictorum fidem, præſens publicum Inſtrumentum à Scriba ſeu Notario præfatæ almæ univerſitatis ſubſignari juſſimus, ejuſdemque Univerſitatis magno ſigillo muniri. Actum in æde Sacra Divi Petri Andegaven in collegio noſtro. Anno Domini Milleſimo quingenteſimo triceſimo, die ſeptima Menſis Maji.

Cenſura Facultatis Sacræ Theologiæ, almæ Univerſitatis Pariſienſis.

Nos prædicti Decanus & Facultas, de prædicta quæſtione differentes ad eam reſpondentes, ſequentes unanime judicium & Conſenſum majoris partis totius Facultatis, aſſeruimus & determinavimus, prout & in his ſcriptis per præſentes aſſeruimus determinamus. Quod prædictæ nuptiæ cum relictis fratrum decedentium ſine Liberis, ſic naturali jure pariter & divino ſunt prohibitæ ut ſuper talibus matrimoniis Contractis, ſive Contrahendis ſummus Pontifex diſpenſare non poſſit, in cujus noſtræ aſſertionis & determinationis fidem & Teſtimonium, ſigillum noſtræ Facultatis cum ſigno noſtri Notarii ſeu bedelli, præſentibus apponi curavimus. Datum in generali noſtra Congregatione per juramentum celebrata, apud ſanctum Mathurinum? Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo Menſis verè julii die ij.

Cenſura almæ Univerſitatis Bituricenſis.

Abſque, Perſonarum acceptione interitate Compleri, ***Perſonas memoratas eſſe, jure ipſo naturali autoritate humana minime relaxabili & vetitas ne in vicem matrimonium contrahan t*** Quo fit fraternæ turpitudinis abominabilis revelatio. Et hoc vobis ſignum noſtri bedelli Notarii publici, cum ſigillò dictæ ſupra noſtrę Facultatis præſentibus appenſo. Die decima junii. Anno verò à Chriſti nativitate milleſimo quingenteſimo triceſimo. Vt autem noſtrę ſcriptionis pes & caput uni reddantur formæ, quemadmodum ſumus auſpicati a præcatione. Ita claudamus illius, quo ſumpta exemplo. Gratia Dni noſtri Ieſu Chriſti, Charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis Amen.

Cenſura Facultatis Theologicæ almæ Univerſitatis Bononien.

Cenſemus, judicamus, dicimus, Conſtantiſſime teſtamur & indubie affirmamus, hujuſmodi matrimonium tales nuptias tale conjugium horrendum fore, execrabile, deteſtandum, viroque chriſtiano ***immo etiam cuilibet***

libet

libet infideli proſſus abominabile, eſſeque à jure Naturæ Divino & Humano diris pœnis prohibitum Nec poſſe ſanctiſſ. Papam(qui tamen fere omnia poteſt)cui collatæ ſunt à Chriſto claves Regni cœlorum non inquam,poſſe aliqua ex cauſa ſuper hujusmodi matrimonio quenquam diſpenſare. Ad cujus concluſionis veritatem tutandam omnes in omnia loca & tempora parati ſumus. In quorum fidem has ſcripſimus, almæque noſtræ Vniverſitatis ac Sacri venerabilium Theologorum Collegii ſigillo munivimus, ſolita noſtra generali ſubſcriptione ſignantes. Bononiæ in Eccleſia Cathedrali, decima junii Anno Dni M. D. XXX. ſub Divi Clementis VII. Pontificatu.

Cenſura Facultatis Theologiæ almæ Vniverſitatis Patavien.

Quo exactiſſime (ut dictum eſt) ſeorſum, publicèque diſcuſſo ac pro viribus dilucidato quæſito. Dicimus judicamus dicernimus, atteſtamur atque veridice affirmamus, Matrimonium hujusmodi, tale Conjugium, & tales nuptias nullas eſſe, imo deteſtabiles atque exſecrandas chriſtiano cuilibet eſſe prophanas, & ut ſcelus abominandas, *crudeliſſimis pœnis jure Naturæ*, divino, & Humano clariſſime Prohibitas eſſe. Nec beatiſſimum Pontificem, cui Claves Regni cœleſtis à Chriſto Dei Filio ſunt collatæ, ulla ex cauſa poſſe ſuper tali matrimonio contrahendo quenquam juridice diſpenſare. Cum illa, quæ ſunt à jure divino prohibita, non ſubſint ejus poteſtati, nec in illa gerit vicem Dei, ſed ſolum ſuper ea, quæ ſunt commiſſa jurisdictioni hominum. Ad cujus ſententiæ Concluſionis veritatem tutandam, & ejusdem certiſſimam defenſionem, omnes nos unanimes, ſemper & ubique parati ſumus. In quorum fidem has noſtras fecimus, almæque Univerſitatis noſtræ, ac ſacri reverendorum Theologorum Collegii ſigillo ſolito communivimus. Datum Paduæ in Eccleſia Heremitarum Auguſtini, die primo julii M. D. XXX.

Cenſura almæ Vniverſitatis Tholoſanæ.

Tandem in eam ſententiam ſi frequentius itum eſt, ut uno omnium alma noſtra Univeſitas animis ſinceriſſimis, nulloque fermento veritatis cenſuerit, jure divino pariter & naturali uxorem relictam fratris ſui nemini licere accipere. At poſtquam id Lege eadem non licet, reſponſum eſt, non poſſe Pontificem aliquem ea lege ſolvere.

Ex eodem libro, in quo citatur ſententia Baſilii M. de uxoris ſorore.

Scribitur, inquiunt, in Levitico, Sororem uxoris ſuæ adhuc viventis

in amoris æmulationem non accipies &c. Ex quo manifeſtum eſt, ajans *quod permittitur accipere ſororem uxoris, uxore mortuâ.* ſi vero quæratur an, in lege ſcribatur, ut ſororem uxoris ſuperducamus, dico *nunquam quod manifeſtum eſt nobis & verum, nil ſcribi hujusmodi*, Non accipies in æmulationem amoris, viventis uxoris ſororem, conſequitur, illam ſublata amoris æmulatione ducere, ne videri interdictum. Is autem, qui cupiditati ſavebit ſuæ, cadere inter ſorores æmulationem non poſſe contendet. Sicq; ſublata & ceſſante cauſa, quamobrem duarum ſororum cui viro copulatio ſit illicita. *Quid amplius impedit, quo minus* duas *ſimul ſorores liceat habere, ſi illam argumentandi formam admittemus.*

Et Poſt libri medium.

Ex hiſtoriis & Poetis audiat quanta ignominia laborent Macarcus Caudius Cydon &c, qui ſuas ſorores nefanda libidine violarunt. Nec levis certe eſt illa ignominia, aut facile eluibilis, qua in hiſtoriis notantur NB Tereus Rex Thracum, qui Philomenam uxoris ſuæ ſororem ſit conſtupratus, Thyeſter, quod cum Europa fratris uxore, pariter & Pælopeia filia rem habuerit. Auſilena, quæ, ſe Patruo prohibuerit. Hucuſq; liber iſte. Ergo etiam gentiles ab uxoris ſorore abhorruerunt, apud quos dictamen rationis ſe exſeruit.

Ex Tractatus Talmudici, de Exciſione, ſive exterminio Cap. I Miſchna I.

Quia Dn. Bucholzius, extra Chriſtianiſmi limites, mihi quoque Rabbinorum, Judæorum authoritatem opponit. His iterum Talmudis authoritatem oppono. Quanta autem judæis illa ſit, oſtendi in libro meo. כרותות ſive Lucerna è ſcriptis Propheticis, Talmudicis, Targumicis ac Rabbinicis accenſa, & Judæis oppoſita. Profecto magna, cui Judæus non facile audet contradicere. Sed in מסכת משניות נר לרגל Miſchna I. ſic habet. Triginta & ſex exciſiones in Lege [*sunt*]. Siquis (1) congreditur cum matre (2) Cum noverca (3) cum ſponſa. (4) Siquis congreditur cum maſculo (5) Cum beſtia (6) Si mulier ſuper ſe adducit beſtiam (7) Siquis intrat ad mulierem filiamque ejus (8) Aut ad mulierem viri *alterius* (9) Si quis congreditur cum ſorore ſua. (10) Aut cum ſorore Patris ſui. (11) Aut cum ſorore matris ſuæ. (12) *Aut cum* NB *ſorore uxoris ſuæ.* (13) *Cum uxore fratris ſui* &c.

Hinc Patet, quod Talmud, ſimpliciter, abſque omni limitatione, in hoc textu, uxoris ſororem, ſub pæna exciſionis vel exterminii prohibitam eſſe dicat, ſive illa exciſio, ſit vita, ſive beatitudine æterna miſerabile & grave exterminium. Supereſt Alkoranus Turcicus, ejuſdem formæ furfuris cum Talmude, verum ex eo, cum nondum aliquid citatum viderim pro matrimonio cōtroverſo, nihil ex eodem repono. Abſit talis inter Chriſtianos diſputatio, quæ extra Chriſtianiſmum, ex fœtidis lacunis fundamenta quærit, Juxta illud. *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.*

Deo optimo Maximo, veritatis Adſertori; Fallitatis ſcandalorum genetricis, Oſori, ſit laus honor; & gloria nullo ſeculorum lapſu terminanda.

FINIS.

BIBLIOTECA NAS